

~~3-1-58~~

43

~~26~~

A  
12  
L. 12

eto

~~17-1-46~~



1185410

2 400 40

R. 4064

Ba

~~17-1-46~~

Tractatus de Cambijs, nuperrime  
ad vnguem recognitus & dili-  
genter examinatus.

Auctore Fratre Fabiano Genuensi absolutissimo  
Theologo, Ordinis fratrum Eremitarum  
Sancti Augustini in Romana Curia  
Procuratore.

~~17-1-46~~



ROMÆ, in Aedibus Antonii Bladi  
M. D. LVII.

*Del collegio de la Compañia de N. S. de Granada*

R. 4064

Ba

17/46

Tractatus de Cambijs, nuperrime  
ad vnguem recognitus & dili-  
genter examinatus.

Auctore Fratre Fabiano Genuensi absolutissimo  
Theologo, Ordinis fratrum Eremitarum  
Sancti Augustini in Romana Curia  
Procuratore.

1185470

17/46



ROMÆ, in Aedibus Antonii Bladi  
M. D. LVII.

*Del collegio de la Compañia de Jhu de Granada*

Reuerendissimo in Christo Patri & Dño Hierony-  
mo Salernitano Archiepiscopo, frater Fabia-  
nus Genuensis ordinis fratrum Eremitarum S. August. congregationis S.  
Mariæ de Consolatione per-  
petuam felicitatem, D.



VM multorum hortationibus ac flagitationibus deesse non possim, quin in lucem edam id, quod iussu Reuerendi Vicarii Reuerendissimi nostri Archiepiscopi D. Hieronymi Saulis, ad Dei honorem & animarum salutem, his superioribus annis conscripsi, de his Cambiis, quæ vocantur de Lugduno aut Bezenzono, me in te obseruantia conuenire visum est, hanc elucubrationem, qualiscunq; illa sit, sub tuo nomine in lucem emittere: cum certo sciam, quemadmodum sub assiduo, prudenti, & catholico tuo regimine Salernitana Ecclesia, tum in moribus, tum in Christianæ vitæ officio continetur, & admodum decoratur, ita & Augustiniana nostra religio duodecim annos vigilantissima, atq; ardentissima generalatus tui administratione, in Diuino cultu, sanctisque moribus, atq; institutis, fuit mirabiliter restaurata, excolta, & magna ex parte illustrata: cuius certe rei, omnes qui huius

Ordinis professionem sequimur, memoriam retinere debemus sempiternam. Missum facio id, quod meum precipue postulat officium, cum Domino & omnipotenti Deo placuerit, ut inde usq; a studiosorum meorum primordiis, te omnium mearum bonarum rerum Ducem cognouerim, ac deinde pro temporum oportunitatibus (quæ tua est singularis benignitas) multorum, quæ in nostra sunt religione ornamentorum, auctor mihi fueris. Quapropter Deo primum, & tibi secundo loco, mea omnia semper accepta referam. Itaq; hoc perexiguum opusculum meum de Lugdunensi Cambio qualecunq; illud sit, ea qua decet reuerentia tibi dicandum esse celsi sui, reliquum est, ut sicut benignitas tua singularis & meæ sinceræ seruitutis in te obseruantia postulat, has meas elucubratiunculas, ut tibi omni ex parte debitas, libenter accipere digneris, quas quum legere tibi contigerit, quicquid emendatione dignum offendes, iudicii tui sinceritate, atq; illustri examine corrigas. Quid vero satis tibi faciet, ut a Deo ipso mihi eius seruo inutili, & clientulo tibi obseruantissimo concessum, hilari animo accipias. Vale Religionis decus.

A ii

FRATRIS FABIANI GENVENSIS  
absolutissimi Theologi Ordinis fratrum Eremitarum  
S. Augustini, in Romana curia Procura-  
toris, Tractatus de Lugdunensi Cam-  
bio diligenter examinatus.



**I**N NOMINE DOMINI  
nostri Iesu Christi bñdicti amen.  
Cum a Reuerendo Domino Ca-  
prulensi Episcopo, Reuerendissi-  
mi in Christo Patris & Domini  
Hieronymi Saulis Archiepiscopi  
nostri Genuensis Vicario, pro ani-  
marum salute, ad instantiã nostro-  
rum Dominorum ciuium, plerisque

celeberrimis Doctoribus & mihi  
in vnum eius iussu sepius congregatis, propositum fuerit,  
Vtrum Lugdunense, vel Bezenzonense cambium, sine con-  
scientiæ scrupulo, recteque celebrari possit, & audita super hoc  
negocio cuiuslibet nostrum sententia, nobis omnibus & sin-  
gulis iniunctum fuerit, vt vnusquisque nostrum eandem clare  
distincteque conscriberet. Ego frater Fabianus Genuensis Or-  
dinis fratrum Eremitarum Sancti Augustini, congregationis  
Sanctę Marię de Consolatione, & si ob magnam ingenioli  
mei imbecillitatem, atque huius negotii non modicam difficul-  
tatem, aliorum sententias in hac re male audire, quam meam  
apponere, vt tamen ipsius Reuerendi Patris & Domini Vica-  
rii voluntati morem geram, Diuino in primis implorato sub-  
sidio, quid super hoc quod difficillimo negotio sentiam, saluo se-  
per saniori iudicio, & in primis, vt decet, Sacro Sanctę Roma-  
nę Ecclesię arbitrio, dicam, vt potero, quod breuissime.

¶ Et quoniam, vt ait Philosophus primo de Anima, principii  
demonstrationis est, quod quid est. Et primo Phy. rectus dice-  
di modus secundum naturam, est comunia prius dicere, & po-  
stea circa vnumquodque propria speculari, atque ex vniuersali-

bus ad singularia procedere, consequens est, vt hic sermo  
noster a diffinitione, & a communioribus profiscatur. In  
primis itaque in comuni describam, quid Cambium, & quid Ars  
campforia sit. Deinde positis quibusdam distinctionibus, ad pro-  
positi quaesiti declarationem specialiter accedam.

¶ Dico igitur primo, quod cambium, secundum vocabulum,  
est omnis commutatio, id est, omnis commutatio, quaecumque sit illa  
potest vocari cambium. Secundum vero usum ad nostrum pro-  
positum loquentium, est commutatio numismatum, vel forte,  
& melius, est commutatio vnus generis in aliud genus numisma-  
tum. Quae quidem commutatio a venditione differt sola mate-  
ria, quia ipsa non est nisi circa pecunias, venduntur vero et re-  
liqua omnia ad vitam & humanum usum necessaria.

¶ Huiusmodi autem Cambium duobus modis fieri potest. Vno  
quidem modo sine literis. Altero vero cum literis, siue, vt com-  
muniter dicitur, per literas. Sine literis quidem, quando eodem  
in loco, & eodem tempore, numisma vnus generis, in numisma  
alterius generis, efficaciter commutatur. Et sic huiusmodi Cam-  
bium, vocatur Cambium reale tantum. Reale quidem, quia sine  
quauis fictione, re ipsa, siue realiter, & cum effectu, numismata  
diuersorum generum, quae sunt vere res, adinuicem commutan-  
tur. Reale vero tantum, quia absque quouis literarum adminiculo, hu-  
iusmodi numismatum commutatio vere perficitur & completur.  
Vocatur etiam Cambium ad minutum, quia, vt plurimum, hu-  
iusmodi numismatum commutatio minute & in parua pecu-  
niarum summa fit, sicut patet in numulariis illis qui vulgari vo-  
cabulo Bancharoti, & non Bancherii nuncupantur: vt cum  
Petro habenti scutum aureum, numularius ibidem & tunc dat  
monetam argenteam, vel econtrario, aut habenti vnus generis  
monetam, puta Testonos vel iulios, dat monetam alterius  
generis, puta Denarios minutos vel quattrinos, aut econtrario.  
Cambium vero reale per literas tunc fit, quando ab altera con-  
trahentium parte in vno loco siue regno datur numisma vnus  
generis, & pro eo numismate ab altero contrahentium aliud nu-  
mismatis genus alibi siue alio in regno, literarum (vt decet) ad-  
miniculo, efficaciter consignatur. Huiusmodi enim Cambium  
vocatur reale, ratione superius dicta. Vocatur vero Cambium

3  
Modus pro-  
cedendi in  
hoc tracta-  
tu.

Quid cam-  
bium.

Distinctio  
Cambiorum.

Cur cambium  
dicatur rea-  
le.

Cur reale  
tantum.

Cur admi-  
nutum.

Quomodo  
cambium rea-  
le per literas  
celebretur.

T.c. 11.  
T.c. 57.

T.c. 4.

per literas, quia literis (vt decet) efficaciter, & cum effectu perficitur, & completur. Quum, n. alius quispiam negociandi gratia volebat ad alium distantem locum se transferre, suas Campsori dabat pecunias, vt congruo dato precio, ipse Campsor suis literis illo in loco pecunias illas ei consignari faceret. Vel quum quispiam habebat certam monetarum summam alibi plus valentem, congruo dato premio, dabat illam Campsori, quatenus ipse Campsor suis literis dictam pecuniam eo in loco sibi consignari faceret.

Quomodo  
Lugd. cab.  
celebretur.

¶ Cambium vero Lugdunense aut Bezenzonense fit hoc modo. Campsor enim spe lucri, congruo tempore, pro singulo scuto de marcha sibi a venditore Lugduni aut Bezenzoni consignando, alio in Regno, puta Genue, dat & soluit ipsi venditori precium, loco, & tempore contractus communiter currens, puta solidos sexagintaquinque, & plus, aut minus, secundum varios rerum euentus, puta abundantiam & penuriam emptorum aut venditorum, vel copiam aut inopiam pecuniarum tunc ibi contingentem, & id genus. Deinde confectis & missis ipsorum Cambiorum literis, congruo tempore, huiusmodi scuti de marcha, siue potius eis equiuales, Lugduni aut Bezenzoni sibi efficaciter consignantur.

Quid ars  
campsoria.

¶ Ars autem Campsoria, vt a Doctoribus communiter dicitur, est negociatio in commutatione numismatum. Vel, & forte melius, est Ars, qua quis potest scire negociari in commutatione numismatum. Huiusmodi autem ars Campsoria duobus modis considerari potest. Vno quidem modo, vt est ordinata ad publicum in primis, & subinde ad condecens ipsius Campsoris priuatum bonum, & hoc modo honesta & laudabilis, ac digna congruo est premio, vt suo loco hic inferius patebit. Altero vero modo, vt pure Campsoria est, & vt adinuenta & vsitata solum (quantum ex ipso Campsore est) ad priuatum & proprium ipsius Campsoris commodum ac lucrum, & hoc modo reprehensibilis est, ac improbanda. Hoc enim modo a Philosopho primo Polit. tripliciter improbat. Primo quidem, ratione vendi sua materia, pecunia videlicet, in qua versatur: quia, scilicet, vitur ipsa pecunia, non quo ad eius proprium & principale, sed quo ad eius commum & secundarium usum. Secundo vero ratione finis,

Cap. 7.

ad quem (vt sic) ab ipso Campsore ordinatur, quia videlicet <sup>4</sup> Campsor vitur ea in primis & solum proprii lucri gratia: quod quidem lucrum, siue eius affectus, vt sic, sine caret: crescit enim amor numeri, quantum ipsa pecunia crescit. Tertio autem, ratione vtriusque: quia hoc tali casu Campsor ipsas pecunias appetit propter se, quae tamen (vt inferius patebit) non propter se quae rendae, habendaeque sunt.

¶ Ex hac autem distinctione, tractatum hunc in duas distinguo partes. In quarum prima dicam de illis Campsoribus, & de Cambiis vel contractibus eorum, qui ipsa arte Campsoria, vt pure Campsoria est, ac prima & sola sui proprii commodi & lucri intentione, turpiter & reprehensibiliter vitur. In secunda vero dicam de illis Campsoribus, & Cambiis eorum, qui ipsa arte Campsoria, vt decet, ad publicum in primis, saltem tacita intentione, & subinde ad condecens ipsorum Campsorum priuatum bonum, honeste & laudabiliter funguntur. Ex quibus duobus in arte Campsoria procedendi modis, clarissime cognoscetur, Quomodo Lugdunense vel Bezenzonense Cambium, recte vel non recte ab ipsis Campsoribus celebrari possit. Et ita ad id, quod a Reuerendo in Christo Domino Episcopo & Vicario nobis coram propositum & iniunctum fuit, cumulatius satisfiet.

¶ Quo igitur ad primam partem dico, quod ex primo in arte Campsoria modo procedendi in ipsorum Campsorum affectu nimia lucri cupiditas argui potest, ex qua sane nimia cupiditate, velut ex mala radice, variae, & illae quidem praeuiae lucri captandi adinventiones & affectiones in eorum intellectu & affectu quam facillime suboriuntur, radix enim omnium malorum est cupiditas. Vt ait Apostolus. Quae sane praeuiae adinventiones atque affectiones, vt idem ibidem ait, mergunt homines in interitum & perditionem. Quarum vna est illorum Campsorum, qui toto mentis affectu, atque tota Animi intentione, suos in terra thesaurizant thesauros, cor videlicet suum in terrenis thesauris in primis collocantes, suas dando pecunias, puta Genue ad Cambium pro Lugduno, aut Bezenzono, quantum est ex se, solum causa proprii lucri acquirendi, suis literis ordinantes, vt inde eodem pecuniae circulatione quadam Genuam remittat

p Tim. 6.

tur, & sic continue successiue, nullam fere aliam mercaturam, præter ipsa continue circulata cambia exercentes, & ratio est, quia isti tales Campsores, vt sic, quantum est ex se, pecuniis, nõ vt instrumento, sicut deceret, economicæ, & politicæ artis, sed solum nimio lucri acquirendi affectu, qui sine caret, turpiter vtuntur: Insuper huiusmodi Campsores ex tali continua Cambiorum circulatione, vias fraudibus aperiunt, & maleficiis indulgere videntur, quod proculdubio facere non licet. ff. de rei ven. l. in fido, & de cog. spi. c. si vir. Ex hoc enim quod ita circulariter Cambiunt, a capientibus ad Cambium, suis creditoribus Lugduni aut Bezenzoni effectualis pecuniarum exbursement regulariter non fit (quæ tamen sicut & in aliarum rerum venditione, ita & in ista pecuniarum, pro animarum salute & communi terrarum comoditate, regulariter laudabilius esset facienda) sed ibidem communiter datur ipsis creditoribus fides seu creditum de huiusmodi pecuniis ibidem, si opus esset, efficaciter exbursement, deinde ipsi met debitoribus aut alii, ibidem .s. Lugduni, easdem pecunias, siue earundem pecuniarum creditum, vna cum lucro ex præcedenti Cambio tunc proueniente, capiunt ad Cambium pro Genua, vbi prius ad Cambium pro Lugduno acceptæ fuerant, & ita hoc Cambium fit circulariter, redit enim ad eundem locum vnde recesserat, hinc autem siue ex hac Cambiorum circulatione, absq; ipsa effectuali pecuniarum exbursement Lugduni faciendâ, aliqui tam campsores ipsi, quam ad Cambium capientes, veluti huius seculi filii, in sua generatione filii lucis prudentiores, ad euitandum prouisiones & Gabellas Cambiorum, titulo etiam indemnitate proximi, adinuenerunt quod pro huiusmodi & sibi similibus Cambiis circulariter confectis, literæ non scribantur, aut si scribuntur, non mittantur, sed quod lucrum ex vero Cambio pro Lugduno aut Bezenzono deinde pro Genua confecto, eundo .s. & redeundo proueniens, a capientibus ad Cambium præfatis Campsoribus persoluat, quod sanè, vt inferius patebit, nullatenus facere licet, quidam vero Campsores dum habent capientem ad Cambium diuitem, & quoties opus est, ad soluendum paratum, ex eorum propria intentione atq; industria curant, quod absq; literis & si scriptis, non tamen mittendis vel

Luc. 16.

admittendis

admittendis, cum eodem debitore siue capiente ad Cambium quo ad sibi placuerit, huiusmodi circulata Cambia continuantur, hoc autem faciunt, non modo pro ipsorum Cambiorum prouisionibus & Gabellis, verum etiam & pro malorum debitorum periculo euitandis, Hi profecto Campsores, & si in hoc contrahendi modo, tenuem quandam veri cambii apparentiam seruare videantur, veri tamen mutui naturam, spe lucri inde cautiùs acquirendi, contra Dei preceptum, se ipsa sequuntur omittendo breuitatis causa, & alias ipsorum Campsoribus prauas adinventiones, quæ ex ipsa continuata Cambiorum circulatione occasionem accipiunt, qua propter huiusmodi Cambiorum continuata circulatio, non laudanda, sed, quoad fieri potest, cauenda est: non tamen ex hoc absolute damnare intendimus omnes quoscunq; illos Campsores qui cambia circulariter celebrant, quoniam illi qui cessante omni fraude, & prauo affectu, confectis Cambiis Genuæ, pro Lugduno, suas pecunias Genuam deinde remitti ordinant, vt etiam si deinde placuerit denuo pro Lugduno Cambia contrahant, & sic successiue, ex hoc præcise, in foro Animarum non sunt condemnandi, laudabilius tamen se gererent, si peractis, & completis primis, aut saltem secundis Cambiis, illis pecuniis, aut saltem illarum pecuniarum parte, victualia & merces ad hominum vitam & vsum necessaria, & ad publicum commodum oportuna, sicut ad id ordinate sunt, efficaciter compararent. Tantummodo autem in hac re damnandos esse credimus Campsores illos qui prauo lucri affectu, & nimia mentis sollicitudine huiusmodi Cambia celebrant, in fallacibus diuitiis proprios collocantes affectus. Dicente Domino. nolite thesaurizare thesauros vestros in terra. & per suum prophetam. Diuitiæ si affluent, nolite cor apponere, vt qui vtuntur hoc mundo, sint tanquam non vtantur, præterit enim figura huius mundi, nõ enim possumus seruire Deo & mammonæ, ipsi autem mammonæ seruiunt, si qui thesauros suos thesaurizant in terra, quod sane ex huiusmodi ipsorum Campsoribus longa, continua & affectata suorum Cambiorum circulatione nobis astruitur: Hinc Dominus Archie. Flo. par. 2. titulo primo, cap. 16. ait, quod in statu damnationis sunt homines illi, qui in eorum negociationibus

Luc. 6.

Luc. 6.

Psal. 61.  
Pri. cor. 7.

Matth. 6.  
Luc. 6.

B

nis sunt homines illi, qui in eorum negotiationibus vltimum eorum finem in ipso lucro ponunt, intendendo videlicet Diuitias augere, & eas sibi referuare, & tanto magis peccarent, si huiusmodi eorum affectatis lucris, rectum ciuitatis viuendi modum. Non sine magno omnium detrimento, inuenterent, ea videlicet lucra in nimias filiarum dotes in superbarum Domorum estructuras, in nimis delicatam & præciosam ipsius Domus suppellectilem, in enormes pompas, nimium fastum, opi para conuiuia, illecebras delitias, in honestos luxus, flagitiosos ludos, & id genus exponendo, & ita aliis suis conciuibus, præter ciuilem morem, ad hæc & similia perpetranda non modicam occasionem dando.

¶ Secunda praua adinuentio, & abusus est, illorum Campsorum qui ex anticipata suarum pecuniarum ad Cambium datione, pecunias Lugduni aut bezenzoni sibi assignandas, minori precio emunt, quam si congruo tempore dandi pro nūdinis illis eas darent. Hi enim omnes, iniusti, & Usurarii sunt censendi. Iniusti quidem, quia (vt dictum est) rem emunt precio minori quam valeat, quod sane est contra iustitiam cōmutatiuam, ad quam attinet emptionis & venditionis contractus, hæc enim iustitia exigit equalitatem inter precium & rem venalem, facit ad hoc. 10 q. 2. hoc ius porrectum, iūcta glo. vbi decernitur quod precium esse debeat equale rei venali, quum igitur, vt dictum est, res siue pecunia in isto contractu vendatur minori precio quam valeat, fit vt in eo non seruetur equalitas, ergo Campsores ita ementes, iniusti sunt. Amplius secundum phūm primo Pol. & .s. Ethicorum, emptio & venditio fieri debet ad beneficium tam venditoris quam emptoris, quum autem (vt dictum est) venditor siue capiens ad Cambiū, vendat pecuniam suam minori precio quam valeat, cōsequēs est quod cum suo dāno & interesse & non beneficio id faciat, ¶ Amplius hoc idem sic astrui potest, precia enim rerum, non ex affectu singulorum, sed communiter estimantur. ff. ad. l. falcidiam. l. precia, oportet igitur venalem illam pecuniam non affectu Campsoris, aut capientis ad Cambium, sed bonorum & peritorum virorum arbitrio communiter estimari. quod quidem (vt ex præmissis clare constat, in hoc non seruetur cō-

6  
tractu, ergo iniusti. Usurarii vero sunt, non quoad formam cōtractus, cum sit contractus emptitiuus, sed quo ad intentionem de prauatam ipsius Campsoris, argumento per locum a contrario, cap. nauiganti. casu. 2. titulo de vsuris, quoniam (vt ibi recte inquit Abbas, perinde ius fingit, ac si emens pecuniam illam mutuaret venditori, vt inde recipiat lucrum illud, quod est vltra veram rei estimationem, quare & c. Hoc idem dicens dum est de illis, qui causa maioris lucri ante cōgruum tempus suas dant pecunias ad Cambium pro nūdinis messanæ, aut alibi celebrandis. Hoc idem etiam dicendum est de illis, qui tempore congruo quo dari debet ad Cambium pro nūdinis apparitionis, non dant pro nūdinis illis, sed pro nūdinis paschatis sequentibus, & multo magis iniusti & Usurarii censendi sunt illi, qui eodem tempore suas dant pecunias ad Cambium pro duabus vel tribus nūdinis simul: Hoc idem etiam dicendum est de illis, qui in Hispaniis nomine cambii suas dāt pecunias pro tribus & quatuor terminis, alia in ciuitate sibi soluendas, ad rationem supra sortem trium vel quatuor pro singulo centenario.

¶ Hoc idem (suo modo) etiam dicendū est, de illis, qui suas dāt pecunias ad Cambium, ad libras grossorum, siue (vt dicitur) p Venetias, hoc videlicet modo & forma, puta Antonius Florentiæ recipit a Campsore decem libras grossorum tūc ibi valentes ceterum aureos, pacto quod termino vnus mensis a celebratione contractus, teneatur tantum Campsori Florentiæ redere, quantum post decem dies a celebratione contractus, valebunt Venetiis decem libre grossorum, quæ aliquando Venetiis valent plus aliquando minus, & sic Campsor aliquando perdit, aliquando lucratur, licet semper speret inde lucrari, & vt plurimum lucretur, quoniam ibi .s. Venetiis vt plurimum plus valent, & si ipse Antonius vellet pecuniam illam longiori tempore tenere, de mense in mensem modo prædicto renouaretur cōtractus, in isto igitur Cambio a Campsore lucrum expectatur ex probabili incremento alicuius monetæ in veneta Ciuitate. In hoc enim contractu sic celebrato est cōtractus mutui, quum eodem in loco (videlicet Florentiæ) dentur & recipiantur pecuniæ eiusdem generis, & ex hoc mutuo ob di-

Prima rō.

2  
Cap. 6.  
Gap. 7.

3



lacionem vnus mensis, ab ipso **Campfor** sic mutuante speratur lucrum, illud .s. plus quod post decem dies a celebratione contractus, decem librę grossorum Venetiis sunt valiturę quam initio contractus valebant Florentiæ, amplius hac intentione & pacto .s. pro acquitendo illo pluri siue incremento ab ipso Campfore ipsi Antonio dicte decem librę grossorum mutuatę sunt, quapropter contractus iste vsurarius est cęsendus, quum nihil aliud sit vsura, quam lucrum accedens ex mutuo, pacto vel intentione principali. 14. q. 3. per totum.

¶ Tertia praua adinuentio, est illorum campforum, qui adueniente termino solutionis cambiorum pro præcedentibus nūdinis, capto lucro inde tunc iam proueniente, vel eodem lucro simul cum capitali computato, spe alterius lucri, acquirendi, solutionem suarum pecuniarum sibi tunc faciendam, nomine cambii vsq; ad sequentes prorogant nundinas, pacto, qd sibi detur id, quod vera cambia p eo loco alibi celebrata tunc parient. Hic enim re vera non est contractus cambii, sed est contractus mutui, nomine cambii paliatus, cum eodem in loco dentur & reddantur pecunię eiusdem generis, & inde aliquid lucri in primis speretur, quod sane est contra Dei præceptum, dicę: mutuuum date nihil inde sperantes. Hoc idem etiã satis clare constat, cap. consuluit & cap. nauiganti, rub. de vsuris, & 14. q. 3. c. si generaueris, & per totum quarc & c.

¶ Quarta praua adinuentio, est illorum campforum siue numulariorũ, qui aut monopolio, aut colusione, aut quouis alio dolo vel fraude, arte, vel exquisito ingenio, iusta cambiorum precia, quouis modo augeint vel Imminuunt. Hi enim in huiusmodi cambiis iustitię commutatiuę, æqualitatem non seruant, immo eam fraudulententer inuertunt, quo fit vt rationibus superius adductis hi male agant, & in foro anime (secundum omnes Doctores tam Theologos quam Canonistas) lucrum inde perceptum efficaciter restituere teneantur.

¶ Hoc idem (vt par est iuxta conditionem cuiusuis campforis, dicendum esse videtur etiam de campforibus illis, qui sine quouis eorum dolo, fraude, arte, vel ingenio, precia cambiorũ pro Lugduno aut Bezenzono, quę ipsi faciunt, non imminuunt, sciunt tamen, aut probabiliter credunt, huiusmodi cam-

biorum precia imminuta fuisse. Monopolio. Fraude vel dolo aliorum, vel illorum qui similia cambia pro Lugduno aut Bezenzono ita dolose contraxerunt: Hoc idem etiam dicendum esse videtur, quando Campfotes ipsi sciunt aut probabiliter credunt huiusmodi cambiorum precia imminuta fuisse ob nimiam cupiditatem arte vel industria illorum qui multas & magnas pecuniarum summas magnis dominis & principibus aut regibus accomodant, pacto vt inde singulis Annis lucrentur quindecim vel viginti supra sortem pro singulo centenario, ob quod, sicut his nostris cupidissimis temporibus satis liquet, sequitur pecuniarum restrictio, siue penuria, & inde illi qui dant ad cambium pro Lugduno aut Bezenzono pro singulo scuto de marcha ibi consignando, minus dant, quam darent, si præfata excessiua lucra eisde magnis Dominis & principibus quouis arte vel ingenio extorta vel adempta non fuissent, ex quo enim ex nimia aliorum mercatorum cupiditate iusta precia cambiorum pro Lugduno aut Bezenzono imminuuntur, & inde Campfor aliquid plus lucratur, quã si hæc aliorum nimia cupiditas non intercessisset, illud plus lucri, velut ex mala radice & arbore procedens, iniustum videtur, non enim (vt ait Dominus) potest arbor mala bonos fructus facere, & Apostolus, si radix sancta & rami, ergo eadem ratione, si radix infecta, & rami, vnde rub. de regulis iuris in 6. scribitur, quod accessorium sequitur naturam principalis, & quũ quid prohibetur, prohibentur etiam omnia quę sequuntur ex illo itaq; cum, vt inferius probabitur, præfatum lucrum, videlicet quindecim vel viginti pro singulo centenario sit malum, infectum, & ipso iure prohibitum, ergo & accessorium quod ex eo sequitur, sicut & a simili sic astrui potest, si enim alicuius aut aliquorum vi, dolo, fraude, arte vel prauo ingenio iustũ frumenti precium imminueretur, alii eo sic imminuto precio ipsum frumentum ementes, non iuste, sed iniuste emerent, cum (vt superius probatum est) precium rei venali equale esse debeat, iccirco hoc tali precio frumentum sic ementes, si id eis cõstaret, aut probabiliter crederent, ad supplendum vsq; ad iustũ & equale precium, in foro anime, tenerentur: Quare hoc idem, & his qui minori precio in cambiis pecunias emerunt, fa-

Luc. 6.

Matthe. 7.  
Rom. 11.



ciendum est, verum quia quantum in huiusmodi Cambiis de iusto eorum precio sit imminutum vel ademptum, forte valde difficile esset iudicare, arbitrio boni viri, in cremētum illud esset aestimandum, & illis quibus pecuniæ ita ad cambium datæ sunt, pro eorum rata esset restituendum, vel forte posset illud, præsertim si quid parū esset, pauperibus & miserabilibus personis dispensari.

¶ Quinta praua adinuentio est illorum campforum siue mercatorum, qui adueniente pro cambiis iam confectis solutionis termino, in taxandis aliorum cambiorum remittendorum, puta pro Genua, precijs, Lugduni aut Bezenzoni quouis modo Monopolium faciunt, aut quouis alio ingenio, vel quæsito colore ipsas venales pecunias iniuste appreciant, & earum precia iniuste taxant. Huiusmodi enim homines, vt clare liquet, iniuste agunt, & sic alios damnificantes, aut in huiusmodi iniusto lucro scienter participantes, arbitrio bonorum & peritorum, de damno iniuste dato, damnificatis tenentur.

¶ Sexta praua adinuentio est illorum numulariorum, qui principali spe lucri, aut pacto huiusmodi lucri sic sperati, quod videlicet vera cambia pro Lugduno aut Bezenzono eundo & redeundo parient, suas aliis dant pecunias, non confectis cambiorum literis, & si confectis, non tamen missis vel admissis.

Huiusmodi enim contractus, vt omnes Doctores fatentur, & ex se satis clare constat, non vera cambia, sed falsa, & ficta, ac simulata sunt. Eodem enim in loco dantur & recipiuntur eiusdem generis pecuniæ, quo fit vt re vera mutua sint, nomine tamen cambii paliata, & sub falso cambii nomine, principali spe, immo & pacto lucri sic sperati celebrata, qua de re rationibus & auctoritatibus iam superius adductis, huiusmodi numularii iniusti & Usurarii sunt, & ad restitutionem lucri taliter inde percepti efficaciter tenentur, vnde a Doctoribus huiusmodi cambia, sicca cambia vocantur, instar plane Arboris Siccae & Aridæ, quæ solo arboris nomine gaudens, & nullū viriditatis humorem habens, nō modo fructum aliquem, sed nec ipsa quidem folia parere potest, ita proculdubio huiusmodi cambia solo cambii titulo gaudent, atq; Animam ipsam sine cuiusuis boni operis fructu, aut boni exempli ornamento, Siccam &

Aridam funditus reddunt: Hoc idem dicendum est, de illis, qui suas dant pecunias artificibus siue nauigantibus, aut mercatoribus, eas in eorum artificiis aut mercimoniis exposituris, pacto tamen aut spe principali, quod, saluo capitali, id quod vera cambia pro Lugduno Bezenzono eundo & redeundo parient, sibi consignetur, malentes isti tales hac via quam alia verorum cambiorum lucrari. Hi enim omnes vsurarii sunt, vt patet cap. consuluit, rub. de vsuris, etiam si capitalis periculum in se susciperent, cap. nauiganti, eo ti. Hoc idem dicendum est de illis, quicumq; illi fuerint, siue viri, siue mulieres, qui suas dant pecunias numulariis eis dicentes, vt eas in cambiis pro Lugduno recte exercent, quos tamen sciunt, aut probabiliter credunt eas nō in huiuscemodi cambiis, sed in aliis eorum negociis, & forte non iustis exposituros, & pacto quod quicquid lucri ex veris cambiis pro Lugduno ab aliis cum effectu celebratis processerit, sibi supra sortem reddatur. Et multo magis vsurarii censendi sunt, si cum numulariis paciscuntur, aut schedulas sibi fieri faciunt, quod saluo capitali, singulis annis sibi supra sortem reddantur sex vel septem pro singulo centenario. Hoc idem dicendum est de illis qui suas aliis dant pecunias nomine depositi, aut (vt dicitur) cōtri firmi, aut partiti, aut cōmodi, aut virtute cuiusdam proclamati nomine cuiusdam domini alias publice promulgati, aut titulo pignoratitio, aut quouis alio ficto, adinuento, excogitato, aut exquisito nomine vel colore, pacto expresso, vel saltem intentione principali habendi aliquid supra sortem eodem in loco, singulis numdinis pro singulo centenario. Hi enim omnes & singuli, rationibus prædictis, animarum suarum saluti male cōsulunt, & re vera vsurarii sunt, plus enim valere debet quod agitur, quam quod simulate concipitur. C. plus valere debet quod agitur, per totum. Proinde quicquid ex eorum huiusmodi veris mutuis, variis, fictis, ac simulatis nominibus paliatis, sic extorserint, in foro animæ efficaciter restituere tenentur.

¶ Septima praua adinuentio est illorum campforum, qui etiā cōgruo tempore, suas aliis dant pecunias ad cambiū pro Lugduno aut Bezenzono, minus tamen dant pro singulo scuto de marcha Lugduni consignando, q̄ tunc in communi foro

arbitrio honorū dari contingat. Hoc autem, quandoq; procedit ex magna necessitate ad cambium capientium, qui non inuenientes campsores ad cambium sibi dantes cōgruo & currenti precio, necessitate coacti vt suis rebus prouideant, ad cābium capiunt eo modo & precio quo possunt. Quo sanē rationibus superius adductis sequitur, vt huiusmodi Campsores cum proximo suo iniuste agant, & iniustum huiusmodi lucri excessum inde perceptum, in foro anime efficaciter restituere teneantur. Ait enim Apostolus, Hæc est enim voluntas Dei, ne quis supergrediatur, neq; circumueniat in negotio fratrem suum, quoniam vindex est dominus de omnibus his. Quod & si auctoritas hæc de circumuentione in adulterio facta contra proximum dicta sit, potest tamen communiter ad omnem quamcunq; circumuentionem contra proximum factam etiā extendi. Hoc idem dicendum est de numulariis illis, qui suas dant pecunias magnis dominis, vel agentibus pro eis, pacto, quod transactis sex vel octo mensibus, alibi supra sortem sibi dentur quindecim vel circiter pro singulo cētenario, & si adueniente solutionis termino, huiuscemodi pecunię sibi nō soluerentur, ab eo tempore ultra, vsq; ad completam solutionem singulis annis sibi dentur decem vel duodecim supra sortem pro singulo ~~centenario~~ pecunię soluendæ. In hoc enim cōtractu, quo ad eius primā partē, capiēs ad cābiū nimis grauatur, nec, vt satis constat, inter precium & rem venalem iustitię commutatiuę seruetur æqualitas. Nec huiusmodi cōtractus fit, vt fieri deberet, pro communi videlicet & emptoris & venditoris vtilitate, & ita iniustus, quo fit vt huiusmodi numularii in foro anime ad iniustum huiusmodi lucri excessum restituendum efficaciter teneantur, sicut & in quodā nostro alio tractatulo super hac re diffusius diximus. Est etiam cōtractus iste quo ad hanc primam partem, tacite vsurarius, vt facile deduci potest ex .c. in ciuitate, & .c. nauigati, rub. de vsuris, quia videlicet campsor ratione anticipatę solutionis, quę in se mutuum implicite continet, minori emit precio pecunias sibi alibi post sex vel octo menses assignandas, centum enim scuti existenti Genuę, longe minus valent, quam centum quindecim Neapoli, aut Romę, aut Florētīę, modo, vt ait Panhor. super cap.]

cap. nauigati, titulo de vsuris. Licet in hoc contractu, quo ad eius formam, non fit vsura, est tamen in eo, quo ad intentionem deprauatam emptoris, quia ius fingit, perinde ac si emptor prius emeret rem siue pecuniam sibi assignandam iusto precio, deinde precium illud siue pecuniam illam mutuaret illi venditori vsq; ad tempus consignationis rei empte, & occasione huius mutui recipiat illud lucrum, quod est ultra veram estimationem rei venditę, quod est vsura. Et quamuis huiusmodi contractus, non solum in multis Italię ciuitatibus, sed & in Gallia, Flandria, Britānia & Germania frequētes sint & celebrentur, propter hoc eos licite & iuste celebrari nobis dicendum non est, quum ratio & veritas consuetudini, & locorum vniuersitati præponenda sint. Di. 8. cap. frustra, iuncta glo. si enim generale pactum est societatis humanę obtinere Regibus suis, quanto magis Deo regnatori vniuersę creaturę suę ad ea quę iussit seruiendum est? Di. 8. cap. quę contra mores, ipse autē Deus cuius est terra & plenitudo eius vtriusq; sui testamenti pagina vsurarum crimen nobis prohibuit cap. super eo. rub. de vsuris, quare &c.

¶ Nec similiter huius nostrę sententię obssistit, quod hac nostra turbulētissima tempestate, magna ipsorum Campsorū siue mercatorum multitudo, & eorum quidem aliqui, qui Deū præ oculis se habere ostendunt, huiusmodi conditionis cambia celebrent, quum humana negocia non hominum multitudine. Sed exactę rationis veritate, discutienda & metienda sint, Rara enim est hominum virtus, & a paucis quidem Amplexata, sic enim ait Dominus, quam angusta & Arcta via est, quę ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt eam, & contrario vero de vitiiis, ipsi virtuti contrariis, nobis dicendum est, sicut enim vitia ipsa plurima sunt, ita & plurima hominum multitudo, velut ex massa primi parētis peccato vndiq; infecta trahēs originem, & ita ab Adolescentia sua in malum prona, per ipsorum vitiorum abruta quam facillime dilabitur, & hæc est ipsius Domini sententia, sic enim ipse ait, lata enim est porta, & spatiosa est via quę ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam, & adeo multi sunt, vt non sine magno nostro dolore, cum ipsius Domini sancto propheta de omnibus ipsis

Matth. 7.

Ro. 5.  
Ge. 8.

Math. 7.

**Plal. 17.** vere possimus dicere, omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsq; ad vnum, nō sunt igitur hominum negocia, & contractus ipsorum hominum multitudine comprobanda: Et quamuis aliqui de numero ipsorum sic contrahentium, vitæ probitatem coram hominibus præ se ferre videantur, ob id non sequitur ipsos in præfatis câbriorū contractibus recte Agere, ipse enim Dominus ad phariseos qui ea tempestate hominum iudicio præ ceteris Deum timere videbantur, de eorum Auaritia eos Arguens, sic ait, **Luc. 16.** vos estis qui iustificatis vos coram hominibus, Deus autem non vit corda vestra, quia quod hominibus altum est, abhominatio est apud Deum: Exacta itaq; & vera ipsius Diuinæ legis, & sacro sanctæ Ecclesiæ, quæ ipsius Spiritus Sæcti magisterio ducitur, ratione, & non hominum opinione rerum humanarum infecta cupiditate, hominum negocia, discutienda, decidenda & comprobanda vel reprobanda sunt.

**Io. 14.**

¶ Neq; etiam huiusmodi contractus prætextu cuiusuis cōsuetudinis licite fieri possunt, cum huiusmodi consuetudo, vel potius Dirus abusus, & perniciofa corruptela, neq; christianæ religioni, neq; Animarum saluti conueniat, sed potius contra Dei præceptum, atq; factorum canonum sancta Decreta, in ipsam christianam religionem omnium & repentinum lucri excessum, varia & forte ænormia scelerata hæctenus excitauerit, & in dies excitet atq; nutriat, quo sane fit, vt irrationabilis & veritati contraria, ac non seruanda, sed Abiicienda & Abolenda sit, cap. ex parte, de consuetudine, & Di. 8. cap. mala. & infra per totum, non enim firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio non subsistit, de reg. iuris, in. 6. huiusmodi igitur praua consuetudine sequitur, quod quanto quispiam in malo Diutius perseverat, tanto eius peccatum sit ei grauius & Damnabilius, quum peccata tanto sint grauiora, quanto diutius infelicem Animam detinent alligatam, cap. tanto, de consuetudine.

¶ Et si dicatur quod tali Domino & principi sic placet accipere pecunias ad cambium cum tali ac tanto suo interesse, quoniam (vt ab ipsis Câpsoribus dicitur) ipse Dominus siue Agētes pro eo, quandoq; dicunt, vel dicit se sponte & libere dona-

10  
re ipsis Campsoribus, si quid ab eo preter equitatem & iustitiā exigunt vel accipiunt: Ad hoc sane dicendum est, quod huiusmodi fictæ, & fuccatæ simulationes & paliationes, quas quidam lucri cupiditate decepti charius amplectuntur, in foro cōscientiæ, & coram Christi tribunali, ante quod nos astare oportet, & manifestanda ac ponderanda & iudicanda sunt abscondita cordis nostri, nihil proderunt, quoniam preter iniustitiæ, & vsuræ peccatum, in quod ipsi campsores sic emēdo vel mutuando ipso facto incurrunt, ad iniustum huiusmodi lucri excessum efficaciter restituendum in foro conscientiæ tenentur, quoniam in translatione Domini rerum attenditur potius voluntas Domini quam alterius, instituta de obligationibus quæ ex Delicto nascuntur. §. placuit, & .l. inter omnes. §. pe. eo. facit. l. i. quæ onerandæ, ad fi. ff. quarum rerum ac. non da. ipse autem Dominus neq; spōte neq; libere, sed necessario & coacte huiusmodi donationes dicit se libere facere, si enim nō est præsumendum quempiam velle iactare suum. ff. de probati. l. cum de indebito, quanto minus præsumendum est, hoc sponte & libere fieri, a Dominis illis qui variis atq; inexcogitatis in dies adinventionibus ad extorquendas pecunias, quam plurimis atq; intollerabilibus grauaminibus, subditos suos (quos multo plus quam campsores diligere & fouere tenentur) his nostris temporibus aggrauare non cessant. Si enim nemo in necessitate constitutus liberalis existit. l. rem legatam. ff. de adimen. lega. & glo. in versic. liberaliter, in .c. relatum. rub. de preben. quāto minus liberalis existit ille Dominus, qui ob eius aduersus Hostes maxima, longa, & fere continua bella, est pecuniis vndiq; sūmopere exhaustus, & qui fere omnes suos redditus & regalia iura habet iam obligata campsoribus? præsertim in Donatione vel remissione tam ingentis pecuniarum summæ, ad quam ob huiusmodi & sibi similibus cambiorum vel contractuum multitudinem ac magnitudinem ascendunt eius Dāna, præsertim erga mercatores, & forte quosdam quos ipse nunquam nouit neq; noscet, quare non libere neq; sponte, sed necessario & coacte dicit se libere donare, quatenus videlicet inuenire possit campsores qui ei mutuent aut accomodent pecunias, quibus pecuniis ipse, aut alios inuadere, aut sal-

Ratio.

2

3 tem terras suas ab hostibus tueri possit. Quod etiam satis cla  
 re cognosci potest ex hoc quod ipse vel Agentes pro eo, ini  
 4 tio contractus, quantum sciunt & possunt, subtiliant ac immis  
 nuunt de precio cambiorum, & aliorum contractuum cum ca  
 psonibus ipsis, reducendo videlicet cambia & alios contractus  
 ad illud minus interesse quo possunt, praeterea Donatio libe  
 raliter facta non fit ipsorum contrahentium conventionione &  
 pacto, neq; praecise secundum ratam alicuius obsequii facti,  
 neq; semper fit tali vel tali praefixo tempore, sicut dicitur fieri  
 in hoc contractu, sed fit ex donatis mera munificentia, & in ea  
 quantitate vel summa, & eo tempore, quibus ipsi donanti plas  
 cet. ff. de dona. re. vari. quibus omnibus satis clare cognosci  
 potest. Donationem vel relaxationem illius excessus lucris, non  
 libere & sponte, sed necessario & coacte occasione videlicet  
 mutui aut commodi sibi facti, ab ipso Domino fieri, quare non  
 vera donatio, sed potius quaedam ficta remuneratio, coacta ra  
 men dici potest. C. de bo. lib. l. cum opus. §. cum autem. 7.  
 ¶ Quo vero ad secundam huius contractus partem, dico ipsam  
 esse usurariam, quia in rei veritate est contractus mutui, pacto  
 habendi singulis annis sopra sortem decem vel duodecim p  
 singulo centenario, argumento cap. si fgeneraueris. 14. q. 3. &  
 per totum, & c. consuluit, & c. naviganti rub. de usuris, neq;  
 huiusmodi lucrum initio contractus potest in pactum dedu  
 ci ratione lucris cessantis, quia huiusmodi lucrum tunc non est  
 neq; in actu neq; quasi in actu, sed est solum in potentia valde  
 remota, & potest multipliciter impediri: Amplius huiusmodi  
 pactum de lucro sic acquirendo (vt ex contractu patet, non fit  
 ad tempus praefixum, puta sex mensium aut vnus Anni, sed ad  
 semper, quousq; videlicet pecunia soluenda soluta fuerit, quod  
 nullus Doctorum concedit, fieri posse, similiter nec ratione  
 damni emergentis tale incrementum initio contractus potest  
 in pactum deduci, nisi tale damnum emergens ex defectu so  
 lutionis, termino sex vel octo mensium faciendq; sit initio con  
 tractus adeo clarum & firmum, quod nullo quo vis modo ius  
 ste euitari possit, & tunc dicendum esset, qd ex quo aut culpa aut  
 defectu debitoris campsor tale damnum incurreret, praemoni  
 to in primis ipso debitore aut eius agente, tale damnum, &

7a

non plus, posset in pactum deducere, & sic tale incrementum  
 supra sortem, ratione huius damni emergentis, recte accipere  
 & exigere, quoniam hoc modo campsor ex mutuo lucrum non  
 acquireret, sed tantummodo se indemnem seruaret, quod secun  
 dum omnes licet, & habetur in cap. primo & c. conquestus,  
 eo. tit. alias secus. rationibus etiam superius dictis sequitur. In  
 iustos & usurarios esse emetes iura vel donatiua dominorum  
 sibi etiam alibi assignanda, siue actiones aliorum quoruncunq;  
 creditorum, si principali spe lucris ea emunt minori precio, q  
 deductis periculis, laboribus & expensis arbitro bonorum &  
 peritorum virorum valeant.  
 ¶ Octaua praua adinuentio est, illorum numulariorum, qui cum  
 aliis contrahentes, dicunt eis se illis suas pecunias dare ad cam  
 bium pro Lugduno, huiusmodi tamen loci nomen, de com  
 muni consensu alicui alii propinquiori loco ficte imponunt,  
 Lugdunum videlicet ipsi eundem locum nominantes, aduenien  
 te deinde tempore solutionis in vera Lugdunensi ciuitate fa  
 ciendq; sic contrahentes ad huiusmodi propinquorem locum  
 eodem ficto nomine sic ab eis nominatum se conferunt, & ibi  
 deni debitores suis creditoribus pecunias siue valorem scuto  
 rum de marcha eo modo soluunt, quo in vero Lugduno solu  
 uendum esset. Huiusmodi enim numularii re vera usurarii  
 sunt, cum in hoc eorum contractu re ipsa sit vere mutuum, spe  
 principali lucris factum. C. plus valere debet quod agitur, per to  
 tum, & ita ad lucrum inde pceptum mutuatariis efficaciter obnoxii.  
 ¶ Nona praua adinuentio est illorum clericorum, & multo mag  
 gis religiosorum, paupertatem, siue comunem vitam profiten  
 tium, qui eorum propria industria & opera, etiam realia & suap  
 te natura iusta, cambia exercent, tales enim cum diuino cultui &  
 sacrosancti altaris mancipati ministerio sint, specialiori modo  
 cauere debent ne dum a malo, verum etiam secundum Apo  
 stolium & ab omni eo quod habet speciem mali, nemini dan  
 tes vllam offensionem, vt suum non vituperetur ministerium,  
 sed in omnibus semet ipsos exhibere tenentur sicut Dei minist  
 ros decet, quapropter ab ipsa negociatione omnino caue  
 re debent, quum ipsa negociatio suapte natura hominum  
 mentem saecularibus curis nimium implicet, lucris cupidis

pri. The. 5.

2. Cor. 6.

tatem excitet, atq; ad labiorum peccata prouocet, a quibus profecto omnibus, tum ratione diuini cultus, cui præcipuo modo mancipati sunt, tum ratione ædificationis, proximi, ad quam ob eorum gradum præcipue tenentur clerici & religiosi penitus immunes esse debent, proinde Apostolus ait, nemo militans Deo implicat se negociis secularibus, & extra, ne cle. vel mona. per totum, ne dum negociatio pecuniaria, quæ inter ceteras mercatorum negociationes lucri cupiditatem in hõium mentibus præcipue excitare videtur, verum etiam & quam plura alia in rebus secularibus negocia & occupationes, Clericis & Monachis stricte interduntur. Diuus etiam pater Augustinus libro quæstionum veteris & noui testamenti, & adducitur Di. 88. c. fornicari. sic ait, antequam enim ecclesiasticus quis sit, licet ei negociari, factum iam, non licet, dictum etiam Diui Hieronymi ibidem sic adducitur, di. negociatorum clericum, quasi quandam pestem fuge. Verumtamen si clerici seculares tantum, non autem religiosi, non illi videlicet qui solemni voto paupertatem & cõmunem professi sunt vitam, non per se ipsos in propria persona, sed tantummodo per seculares & interpositas personas, non causa proprii lucri sibi acquirendi, sed pro opportuna & pia pauperum sibi propinquo, aut etiam quaruncunq; miserabilium personarum subuentione, & sine quouis proximi scandalo, iusta cambia, atq; etiam aliqua alia iusta negociarentur negocia, forte non peccaret, immo potius laudabile & pium opus agerent, cum etiam & sanctos aliquos viros, ac etiam probos eccl. esiam prælatos, consimilia negocia sic exercuisse legerimus, vt etiam eodem tit. cap. primo, aliquantulum tangitur.

¶ Decima praua adinuentio est illorum campforum, qui suas aliis dant pecunias ad cambium pro Lugduno, quos tamen sciunt vel pbabiliter credunt scutos illos de marcha, pro quibus præfatas pecunias dederunt, non posse Lugduni soluere vel consignare. Huiusmodi enim contractus, si cessante omni alia quauis fraude celebretur, licet in se iustus sit, iniuste tamen cum huiusmodi pauperibus & non valentibus soluere contrahitur, & præfati campfores vsurarii sunt, vel in fraudem vsurarium faciunt, vsuram siue lucrum inde à pauperibus accipien-

tes, & lucrum illud inde à paupere sic acceptum, illi pauperi omnino restituere tenentur, cum sine causa illud acceperint, ex eo videlicet quod nõ est. ff. de cond. sine causa. Si vero campfor credens ipsum accipientem ad cambium posse sibi Lugduni soluere acceptam pecuniam, & etiam lucrum inde prouenturum, bona fide ei pecunias suas credidit, quãdiu huiusmodi eius bona fides durat, non est vsurarius censendus, nec lucrum inde perceptum restituere tenetur, sed adueniente mala fide, lucrum illud illi pauperi restituere debet, cum in extrema necessitate pauperibus teneamur etiam dare de nostro. Si vero campfor esset in probabili dubio, vtrũ scilicet pauper ille posset sibi pecunias illas Lugduni soluere vel ne: non debet se discrimini exponere. cap. iuuenis, de spons. sed aut de hoc prius certificetur, aut cesset à contractu.

¶ Undecima praua affectio & adinuentio est illorum numulariorum, qui suas ad cambium dant pecunias alicui, quem sciunt aut probabiliter credunt esse prodigum, & huiusmodi pecuniis in ludis, luxu, illecebris deliciis, & lasciuis, enormibus pompis, comestationibus, ebrietatibus, & huiusmodi malis operibus abusus. Hi enim numularii sic suas dantes pecunias male agunt, quia secundum Apostolum nõ solũ digni sunt morte qui talia agunt opera, sed etiam qui consentiunt facientibus. Cum autem suas dantes pecunias hominibus sic prodigis, non solum consentiant, verum etiam magnam eis occasionem offerant eas dilapidandi & prodigendi in malos vsus, morte digni sunt, nec inde aliquid lucri percipere debent. Hoc idem dicendum esset, si quispiam ad cambium suas daret pecunias furioso vel infano, cum furiosis & insanis de rebus etiam eorum propriis, administratio quàm sepius interdicitur. Hoc idem dicendum esset, si huiusmodi campfores suas ad cambium pro Lugduno darent pecunias illis quos scirent vel probabiliter crederent, illas deinde ad extorquendas ab aliis, puta à magnis dominis, magnas vsuras, seu iniusta lucra, puta viginti aut viginquinq; supra sortem singulo anno pro singulo centenariis, exposituros, cum enim, iubete domino, teneamur proximum nostrum, sicut nos ipsos diligere, ac de proximo nostro curam habere, non recte, sed male agerent hi qui modum & commo-

Ro. 1.

Matth. 22.  
Ecclesiasti  
ci. 17.

ditatem fenerandi ac male agendi in magnum sui proximi dānum, & eternam animi damnationem scienter subministrarēt, imo potius sicut in hoc. §. dictum est, non lucro, sed æterno damno digni essent, cum proximo suo mortifera perpetrandi opera fomitem suggererent. Omitto si quis campor suas ad cambium daret pecunias filiis familias, mulieribus, seruis, &c. cum hoc quam rarissime contingat, & clare constet non esse faciendum.

¶ Duodecima praua adinuentio est illorum numulariorū, qui suas ad cambium vel quo vis alio titulo aut ficto nomine, dāt pecunias dominis & principibus, quos sciunt, aut probabiliter credunt in iniustis, ne dicam impiissimis truculentissimisq; bellis, aduersus Christi fideles, eos opprimendo, depopulando, deuastando, occidendo, eas exposituros. Hi enim numularii sic suas dantes pecunias, quā grauissime peccant, cum eorū pecuniis sic ad Cambium datis, sint occasio innumerabilium & grauissimorum malorum, quo sane fit, vt inde ne dum lucrum percipere non possint, verum etiam & ad arbitriū boni viri, ad omnium quorumcunq; malorum, damnorum, depopulationum, deuastationum, mortiumq; inde procedentium satisfactionem in foro animæ sint efficaciter inducendi. Taceo, modestia cuius, quid dicendum esset de numulariis illis, qui suas ad cambium, aut quo vis alio titulo, darent pecunias principibus, quicunq; fuerint illi, quos probabiliter crederent huiusmodi pecuniis in iniustis aduersus Christi fideles bellis, aduocatis secum ad id etiam infidelium armis, non sine maximo Christianæ Reipublicæ damno, & euersione, atq; Christiani nominis dedecore, clam vel palam quouis modo vsuros vel potius abusuros.

Hiere. 17.

¶ Quamuis enim hominis cor vndiq; prauum sit & inscrutabile, variosq; & innumerabiles, in se recōditos habeat recessus, ex his tamen quæ hætenus super hoc cambiorum negotio scripta sunt, quantum ego perspicere potui, satis luculēter apparet, quot & quibus hominum prauis affectionibus & adinventionibus Lugdunense aut Bezenzonense cambium depruari possit. Quod si forte his nostris rappacissimis temporibus aliquę

aliquæ aliæ prauæ adinventiones adinuentę sint, aut, quod absit, crescente hominum malitia, in posterum adinueniantur, illæ sane aut ad aliquā istarū quæ iam enarratę sunt, reduci, aut per ea quæ iam dicta sunt, & inferius dicentur, illarum adinventionum fraudulētę fallacię facile dignosci dissoluiq; poterūt, quas sane fallaces fraudulentasq; hominum adinventiones. Infatiabili cupiditate adinuentas, Dominus nimia sua pietate ab omnīū cordibus penitus auferre atq; eliminare dignetur, ne, quod absit, ob incredibilem ipsorum hominum cupiditatem, ipse Dominus eos a facie sua proiciat, atq; de eis sicut de insatiabilibus illis Iudeis dicat, Dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis, & subinde iustissime det eis iuxta fructum adinventionum suarum, nescientes enim facere rectum, & thesaurizantes iniquitatē & rapinas in ædibus suis, nullam habent commutationem quā dare possint p̄ Anima sua, sed velut idolorū serui, in alio seculo mergentur in interitum & perditionem, in hoc autē seculo, vt ait Dominus, circumietur terra ipsorum, & detrahetur ex ea fortitudo sua, & ædes eorum diripientur, sed si Christi fideles, nō in suis adinventionibus, sed (vt decet) in viis Dei ambulassent, pro nihilo & gratis ipse Deus forsitan inimicos eorum humiliasset & super tribulantes eos mississet manum suam, omitto breuitatis causa, alias penas quibus manifeste vsurari humano iure plectendi sunt, omitto quid dicendum sit de illis, qui aliorum nomine dant aut accipiunt ad vsuram, Omitto horum fæneraticiorum cōtractuum mediatores siue profonetas, & notarios quoscunq; qui eorundem contractuum publica conficiunt instrumenta, atq; huiusmodi contractuum siue eorundem instrumentorum testes, eosq; etiam qui vsurarum schedulas subseribunt, aut ipsis vsurariis atq; vsurarum prauitatibus consiliū auxilium, vel fauorem quouismodo præstare non verentur. Omitto similiter eos, qui comedendo, vestiendo, imburfando, vel quouis alio modo accipiendo de vsuris, scienter vel probabiliter opinione participant. Hæc enim & similia, quantum ad p̄sens spectat, ad propositum quæsitum non necessario requiruntur. Itaq; quo ad primam huius tractatus partem quæ dicta sunt sufficiant.

Psal. 80.

Hier. 17.

Amos. 3.

Matth. 16.

Eph. 5.

1. Thi. 6.

Amos. 3.

Psal. 80.

D



SECUNDA PARS.

Cap. primum, quod ars campforia recte ordinata, honesta & laudabilis, ac digna sit præmio.

**E** Narrata & discussa natura & qualitate artis campforiæ, vt emere solum inuenta & vsitata ad ipsius campforis priuatū commodum & lucrum, ac etiam enumeratis & explanatis ipsorum campforum ea sic vtentium prauis adinuetionibus, consequens est, vt in hac secunda huius Tractatuli iparte, de ipsa arte campforia, quatenus æconomicæ & politicæ deferuit, ac de recto ipsorum campforum ea sic vtentium vsu dicamus. Dico igitur primò quod ars campforia vt æconomicæ & politicæ deferuit, siue vt ad publicum in primis, & subinde ad condecens ipsorum campforum priuatū bonum, saltem tacita intentione, ordinatur, est honesta & laudabilis, ac digna præmio. Hæc propositio sic declaratur. Primò, quia ars campforia hoc modo sumpta, est expers illarum conditionum, quibus a Philosopho improbatur, ergo &c. Neq; enim ipsa ars campforia ex hoc solo, quod vtatur pecunia quo ad eius vsum secundarium, videlicet venditionem, ex parte capientium ad cambiū reprehensibilis esse debet, cum & calcearius, & birrectarius, & quicunq; alii artifices bono publico & priuato recte deseruientes, quum eorum artificialia, alijs vendunt non sint reprehensibiles, imo sint laudabiles, & eorum artificijs digni competenti lucro, & tamen, vt patet tunc, vt sic, suis artificialibus, non quo ad eorum primum, sed secundarium vsum vtuntur, & hoc quia huiusmodi artes sic vendendo eorum artificialia ad publicum in primis, & subinde ad condecens ipsius artificis priuatum bonum recte ordinantur, quapropter & ipse campfor cum recte dando suas pecunias ad cambiū, bono publico & priuato recte deseruiat, honeste laudandus, & competenti sue industriæ præmio dignus habendus est. Secus autem, si ipse campfor ipsa arte campforia, vt pure campforia est, & vt ad inuenta & vsitata solum, quantum ex ipso campfore est, ad priuatum & proprium ipsius campforis commodum vteretur. Hoc enim modo ipsa ars campforia habet illas tres conditiones simul, quibus, vt sic, ab ipso philosopho reprehenditur.

15

quare &c. Secundo principaliter sic, Ipsa ars campforia hoc modo sumpta, vt ex propositionis propositæ terminis patet, ad honestum & laudabilem finem recte ordinatur, & quoniā a suo fine omnia denominari debent, consequens est, vt ipsa honesta & laudabilis ac digna sit præmio. Hoc idem in cambio reali tantum, quod, vt superius declaratum est, etiam cambiū ad minutum vocatur, clarius constat, in eo enim, cessante omni fraude, campfor secundum omnes doct. iuste & laudabiliter pro sua industria, labore, & interesse, aliquid moderate inde lucrari potest, & hoc quia bono publico & priuato recte deseruit, cum autem campfor qui per literas suas dat pecunias ad cambiū pro varijs & multis terrarum locis, vt sic, longe magis quam campfor ad minutum, bono publico vndiq; recte deseruiat, a fortiori laude & competenti præmio dignus habendus est. Accedit ad hoc, quia industriæ accedentis operi licito, ratio habenda est, & aliquid mercedis dari debet. I. si heres ff. ad legem falcidiam, sic etiam & Apostolus ait, quis militat Pri. cor. 9. suis stipendijs vnquam? & dominus in euangelio, dignus est Luc. 10. enim operarius mercede sua. Cum autem hæc campforum industria, intrasmittendo videlicet suas pecunias ad multas & varias terrarum partes, sicut principibus, æconomis, & mercatoribus clare constat, sit valde vtilis, immo pro humanæ vitæ rebus necessarijs comparandis, & ciuitatum commoditatibus prouidendis, multum necessaria, & ita ad licitum opus multum accedens, consequens est, vt & ipsi campfores huiusmodi suæ industriæ aliquid lucri arbitrio boni viri recte consequi possint.

Cap. secundum. Quo tempore cambia realia per literas recte celebrari possint.

Et quoniam omnibus in rebus modus & ordo seruandus est, notandum quod sicut mercatores de rebus ad vitam & commodū necessarijs, regnis, puincijs, ciuitatibus, locis, familijs, & priuatis personis communiter toto anno negociando prouidere curant, ita congruum fuit, vt & ipsi campfores siue numularii, suarum pecuniarum commutationibus, atq; translationibus huic bono publico & ipsis mercatoribus deseruiantes, toz



Cap. 5.  
Cap. 7.  
Cap. 5.

que & quot  
sint nūdinæ  
Lugd. aut  
Bezen.

ro etiam anno, statutis tamen temporibus, & æqua lance, suas pecunias ad cambium ipsis mercatoribus dare possint, quatenus ipsæ res ad publicum & priuatum commodum vtilis ac potius necessariæ ab ipsis & quibuscunq; aliis vbiq; locorum commode emi & vendi possint, cum ipsæ pecuniæ, teste Philosopho, primo & secundo Pol. & s. Eth. ad hæc & similia comparanda inuentæ & designatæ sint. Hinc factum est, quod loquendo de Lugdunen. & Bezenzonen. câbiis, singulus quisq; annus, iuxta quatuor naturalia anni tēpora, in quatuor distinctus fuerit nūdinæ, in nūdinæ videlicet apparitionis, paschatis, augusti, & omnium sanctorum. In quibus sane nundinis, statuto tamen & præfixo tempore, post q̄ videlicet clausæ & missæ fuerint literæ cambiorum præcedentium nundinarum, & antequam claudantur literæ cambiorum nundinarum sequentium, cuiuslibet (vt decet) liceat dare, & accipere pecunias ad cambium, pro nundinis videlicet illis duntaxat tunc immediate sequentibus.

¶ Similiter & tempus illud quod assignatur inter datam & soluendam pecuniam, non assignatur solum vt accipiens ad cambium possit ire, aut eius literæ miti possint ad locum vbi eius nomine ipsi campfiori aut eius Agentibus soluendæ sunt pecuniæ ad cambium acceptæ sed etiam datur ad debitam & honestam ipsius mercatoris ad cambium capientis commoditatem, ipsi enim mercatores non possunt, transmissis & datis literis, semper statim reddere summam pecuniarum ad cambium acceptam, quapropter huiusmodi tempus rationabiliter esse debet aliquantulum maius quam requirat accessus, siue missio literarum ad locum soluendorum cambiorum, hoc autem taxandum est, sicut regulariter fit, secundum laudabilem & approbatam consuetudinem vim legis habentem.

Cap. tertium, Quod nundinæ & cambia in iudicio & extra, rata & firma sunt.

Huiusmodi autem statutum siue consuetudo de huiusmodi nundinis, & omnibus aliis quibuscunq; quæ in eis recte gerende sunt, vt rata & firma, sicut decet, in iudicio, & extra, apud

omnes quoscunq; vbiq; locorum habeantur, ommissis breuitatis gratia multis & variis legum autoritatibus, aliquo bono fine, non affectu & arbitrio singulorum, sed communi omnium (vt decet) consensu, accedente ad id etiam Principis autoritate, non per errorem, sed ex certa scientia, ac diuturnitate temporis instituenda, ordinanda, comprobandaq; esse oportuit. Et hoc modo huiusmodi consuetudo vim legis habet, cum ipsa consuetudo, de qua modo nobis est sermo, sit ius quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur, di. prima cap. consuetudo. Cum autem omnia hæc & singula in hac huiusmodi nundinarum institutione, ac distinctione, ac in rebus omnibus & singulis, in eis ad id peragendis, vt in hac arte campfioria peritis constat, clare reperiantur, clare sequitur, vt huiusmodi institutio siue consuetudo, ac omnia alia & singula, quæ, cessante omni quauis fraude, & quouis dolo in huiusmodi nundinis sic institutis & ordinatis, peraguntur, in iudicio & extra iudicium, apud omnes quoscunq; vbiq; locorum rata & firma sint habenda.

Quæ consuetudo vim legis habeat.

Cap. quartum, Quod Lugdunen. siue Bezenzonen. cambia, vera & realia cambia per literas dicenda sunt.

¶ Hæc autem cambia, puta hic Genuæ celebrata pro Lugdunen. aut Bezenzono, cessantibus omnibus superius dictis fraudibus, celebrata, vera & realia cambia per literas dicenda sunt. Hoc aut sic ostenditur. Primo quidem, quoniam diffinitio veri cambii realis per literas sibi competit, ergo &c. consequentia nota, & antecedens probatur sic, Diffinitio enim veri cambii realis per literas, secundum omnes Doctores qui de hac re loquuntur, est commutatio vnius generis in aliud genus numismatum, & confectis & alio missis huius commutationis literis pro commutando illo alio numismatum genere. Hæc aut omnia & singula huiusmodi Lugdunen. aut Bezenzonen. cambio conueniunt, hic enim Genuæ, vbi contractus celebratur, dantur a campfore ipsi venditori pecuniæ, quæ cum sint præsentis, vt sic, non subsunt periculis, neq; laboribus, neq; expensis.

1. Ratio

diffini câbij

Lugduni vero a capiente ad cambium soluuntur capsores pecuniarum, quae ratione distantiae localis, ut sic, subsunt periculis, laboribus, & expensis, quare, ut sic, a datis a campfore pecuniis, saltem (ut ita dixerim) extrinsece genere differunt. Differunt etiam aliquo modo & intrinsece, quoniam hic Genuae a campfore pecuniarum unius tantum generis, puta scutorum tantum in auro soluuntur: Lugduni vero a capiente ad cambium pecuniarum communiter trium generum assignantur, scutorum videlicet aureorum, monetarum argentearum, & parpagiolarum, quare & intrinsece genere differunt. Insuper de huiusmodi numismatum commutatione, ut ex iam dictis patere potest, li-  
tere sunt conficiendae Genuae, & deinde Lugdunum mittendae, ut huiusmodi numismatum commutatio suum (ut decet) sortiatur effectum, definitio ergo veri cambii realis per literas, Lugdunensi siue Bezenzonensi cambio competit, quare &c.  
¶ Secundo hoc idem ostenditur sic. secundum enim Doct. q. de hac re loquuntur, cum quis habens, puta Genuae pecuniam dat eam campfore, ut suis literis faciat eam vel aliam eiusdem generis intrinsece Romae, vel Neapoli sibi vel alteri consignari, verum & reale cambium per literas censetur, igitur a fortiori hoc idem erit cambium Lugdunen. ait Bezen. hic Genuae (ut dictum est) celebratum, cum & inter datam & receptam pecuniam, regionum diuersitas, & numismatum maior varietas in eo reperiatur, quare &c. dicitur autem cambium per literas, quae in hoc cambii genere requiruntur, quatenus (sicut dictum est) pecuniae Lugduni consignandae, efficaciter soluantur, ad differentiam cambii minuti, in quo, quia idem est locus commutandarum pecuniarum, non requiruntur literae, sed tantummodo pecuniarum effectualis & iusta commutatio.

Cap. quintum. Qualis contractus cambium Lugdunen. nuncupari possit.

Ut autem cognoscatur qualis contractus ex contractibus nominatis sit in huiusmodi Lugdunensi cambio, dicendum est quod loquendo de contractibus nominatis, quos possemus imaginari esse in hoc cambio, non potest esse contractus loca-

17  
tionis operae ex parte capsores, quia capsor non suscipit aliam pecuniarum summam transuehendam, sed illam potius transuehit capiens ad cambium, quoniam a campfore accipit pecunias Genuae, & eas deinde reddit Lugduni. Nec similiter potest esse contractus permutationis proprie, si pecunia reddenda (ut communiter contingit) sit futura, quia praesentis ad futurum, sicut & certi ad incertum, non est permutatio proprie. C. de re. perm. l. i. & in glo. quae allegat. l. quoniam, eodem tit. ubi sic sentiunt Bar. & Bal. si tamen utraque pecunia, danda. s. & recipienda siue reddenda, esset praesens tempore, posset fieri in ea permutatio, etiam si esset omnino eiusdem generis intrinsece, puta omnes scuti aurei, immo etiam si esset eadem numero, quia quae redderetur (ut diximus) esset affecta qualitate distantiae localis, & ita, ut reduceretur ad locum, in quo a campfore prius data fuit, esset subiecta periculis, laboribus, & expensis, & sic esset aliquo modo alia. Verum quia raro est praesentia utriusque pecuniae raro est ibi permutatio, & si quandoque ibi esset, de ipsa iudicandum esset, sicut & de contractu, quem in hoc cambio esse demonstrabimus. Nec etiam est ibi contractus mutuus ex parte capientis ad cambium, quia capiens ad cambium non dat primo, & postea recipit, ut fit in mutuo, sed e contrario, quia primo recipit, & postea dat. Similiter etiam non est ibi proprie mutuum ex parte campsores, licet ipse campsor primo det, & postea recipiat. Primo quia in mutuo secunda acceptio fit post primam ratione temporis, in quo accipiens mutuum indiget illo, hic autem proprie fit ratione distantiae locorum, in quibus datur & recipitur pecunia, datur enim puta hic Genuae, & deinde recipitur Lugduni aut Bezenzoni, etiam si tempus inter prius datam, & deinde receptam pecuniam, sit aliquantulum maius, quam haec localis distantia requirat, quia sicut dictum est, huiusmodi tempus ad arbitrium bonorum datur ad debitam & conuenientem commoditatem restituentium siue mercatorum, quibus (ut diximus) ipsa ars campforia pro communi bono in primis, & subinde (ut decet) priuato deferuit, ipsi autem mercatores communiter non possunt confectis cambii literis, statim equum conscendere, & Lugdunum proficisci, aut eodum aliquem alium mittere, vel merces suas statim distrahere, ut pecunias in

1. Ratio

2

1 de acceptas campfori Lugduni respondeant. Secundo non est hic mutuum, quia in mutuo pecunia restituenda (per se loquendo) debet esse eiusdem generis cum pecunia mutuata, quia recipiens mutuum obligatur ad tantundem in eodem genere, ut si mutuavi tibi ducatos aureos, teneris mihi restituere ducatos aureos, si monetam argenteam, monetam argenteam, si aream, æream. l. Paulus. ff. de sol. adeo quod si conveniatur ut res data restituatur in alio genere, puta grossi pro ducatis, vel vinum pro tritico, non est proprie mutuum, sed contractus innominatus. ii. in princ. §. i. ff. si certum petatur. In hoc autem cambio Lugdunensi pecunia restituenda, ut cap. præcedente diximus, duobus modis est alterius generis a pecunia data a campfore, quare &c. Tertio mutuans (per se loquendo) non subiacet alicui periculo in sorte mutuata, quia (ut dictum est) mutuatarius tenetur mutuanti ad tantundem in eodem genere, quia est debitor generis, genus autem perire non potest. l. in ratione. §. verum. ff. ad l. falcidiam. Sed in Lugdunensi cambio Campfor subiacet periculo in sorte data, antequam pecuniam reuertantur Genuam, ubi primo a campfore ad cambium datae sunt, & si valde raro, quandoque tamen, ut experientia textatur, contingit quod campfor damnū patiatur in sorte.

3

4 Quarto mutuans pecunias suas (absolute loquendo), potest eas a debitore, habita prius aliquali temporis moderatione, quous tempore repetere. l. quod dicimus. ff. de solutionibus, & §. omnis, & glo. ver. Dub. institut. de verb. obli. Dans autem pecunias suas ad cambium, non potest eas ante tempus ad solutiones cambiorum designatum repetere, quapropter non est contractus mutui. Dico igitur (salvo semper saniori iudicio) huiusmodi Lugdunense aut Bezenzonense cambium non esse contractum mutui, sed esse contractum emptionis & venditionis, emptione videlicet se tenente ex parte campforis, venditione vero ex parte capientis ad cambium, pecunia enim, quæ datur a campfore puta Genuæ, se habet ut precium, quæ vero Lugduni aut Bezenzoni a capiente ad cambium consignanda est, ut stat sub illa distantia locali, se habet ut res venalis. Pecunia enim non solum vendi & emi potest, ut est purum aurum vel argentum, eo videlicet modo quo venditur, & per se pro

auro

Quod sit contractus emptionis & venditionis.

Pecunia duobus modis vendibilis est.

auto vel argento fracto, verum etiam vendi & emi potest, in quantum pecunia, quamvis non per se, sed per accidens, id est per aliud, videlicet gratia suæ materiæ, puta auri, vel argenti, ex quo constata est, quod quidem à simili sic astrui potest. Quem admodum enim ex Philosopho primo Pol. constat, ipsa re artificiali, quatenus artificialis est, duobus modis uti possumus. Vno quidem modo, quo ad eius proprium & principalem usum, quod est is, ad quem ipsa res artificialis, ut sic artificialis est, primo & principaliter ordinatur. Alio vero modo, quo ad eius commutem & secundarium usum, qui est omnis eius usus alius à primo, ad quem tamen ipsa res artificialis in quantum talis est, communiter & secundario ordinari potest, exempli gratia, ipso calceo uti possumus dupliciter, videlicet quo ad eius proprium & principalem usum, & hic est calciatio, ad quam (ut sic) primo ordinatur, ob calciationem enim calceus primo inuentus est, & etiam quo ad eius communem & secundarium usum, puta emptionem & venditionem, quæ tamen emptio & venditio etiam competit calceo in quantum calceus est, emitur enim & venditur calceus, non solum pro puro corio, aut panno laneo vel serico, verum etiam & in quantum calceus est, licet ipse calceus non ad emptionem & venditionem, sed ad calciationem primo & proprie sit ordinatus, primus enim usus competit calceo per se simpliciter & absolute in quantum calceus est, secundus vero scilicet emptio & venditio, competit calceo, etiam in quantum calceus est, sed non simpliciter & absolute, sed per accidens, id est per aliud gratia. s. suæ materiæ, in quantum videlicet calceus est de corio, vel de panno laneo aut serico. Hoc idem & de qualibet alia re artificiali dici potest, quod. s. ea uti possumus, & quo ad eius proprium & proprium usum, ad quem videlicet primo & proprie ordinatur, & quo ad emptionem & venditionem, ad quam etiam, ut talis res artificialis, communiter & secundario ordinatur. Cum autem & ipsa pecunia, ut pecunia est, quid artificiale sit, ea (ut sic) uti possumus dupliciter. Primo quidem, quo ad eius usum proprium & principalem, qui simpliciter & absolute competit ei, ut pecunia est, & hic est, ut ex statuto legis sit valor siue precium rerum venalium. Ad hoc enim ipsa pecunia (ut sic) primo adinventa & ordinata est, ut habetur primo Poli. & .8. Ethi. & ipsa (ut sic)

Pecunia duobus modis vendibilis est. Quod pecunia sit vendibilis. 1. Ratio Cap. 6.

Ca. 6. Cap. 14.

Quomodo  
pecunia sit  
omnino in  
uendibilis.

16 formalis

2  
Cap. 7.

3  
Cap. 6.

formaliter & absolute est omnino inuendibilis, quia sicut albedo non potest esse alba, sed est id quo aliquid formaliter est album, ita valor siue precium non potest appreciari, sed est id quo alia appreciantur, seu est regula apreciandi, & ad hunc sensum intelligendi sunt Doct. quum dicunt pecuniam esse omnino inuendibilem. Secundo autem modo uti possumus pecunia, quo ad eius usum communem & secundarium, alium videlicet a primo, qui tamen competit ei, etiam ut pecunia, non tamen simpliciter & absolute, sed per accidens, id est per aliud, videlicet gratia suae materiae, ut videlicet est valor in tali vel tali materia, puta auro vel argento, ex quo ipsa pecunia conflatam est, & ipsa (ut sic) sicut & de calceo dictum est, gratia suae materiae emi & vendi ac appreciari potest, Et, ut formaliter arguitur, dicatur sic, Omnis res artificialis, ut artificialis est, gratia suae materiae emi & vendi potest, sed pecunia, ut pecunia, est res artificialis, ut artificialis est, ergo pecunia, ut pecunia, gratia suae materiae emi & vendi potest. Minor de se est nota, & Maior patet ex declaratione a simili facta, & etiam inductiue discurrendo per singula artificialia, quare &c. Tres ergo propositiones habitae sunt de ipsa pecunia, quarum una est, quod si sumatur pecunia ut ex legis statuto est simpliciter valor siue precium rerum venalium, est omnino inuendibilis. Secunda est quod si pure sumatur pro auro vel argento fracto, est vendibilis per se. Tertia, si sumatur, ut pecunia est ex tali vel tali materia, est vendibilis per accidens, id est per aliud, gratia scilicet suae materiae. Secundo, hoc idem sic astruitur. Secundum enim Philosophum primo Pol. per argumentum a contrario clare, elici potest, quod supposita ipsius artis campforiae, honestate finis, sicut & modo in hac parte supponimus, licitum sit lucrari, commutando pecuniam cum pecunia, quod sane sub eodem principe esse non posset, si ipsa pecunia semper daretur & acciperetur solū secundum valorem legalem, cum sub eodem principe valor pecuniarum legalis idem sit, opus est igitur secundum mentem Philosophi, quod ipsa pecunia ex altera parte rationem rei venalis habere possit, & ita sit vendibilis, ex altera vero, rationem precii. Tertio sic, Philosophus primo Pol. expresse vult, quod quis possit uti pecunia aliter quam ut precio rerum venalium

& ibi dat exemplum a simili superius positum de calceo, quare propter quis potest uti pecunia ut re venali, quia omnis res corporalis utilis homini, est aut precium, aut appreciabile. Quarto sic, omne id quod cum lucro recte dari potest ad locationem, potest etiam emi & vendi. Haec propositio est per se nota, cum omne tale sit pecunia estimabile, sed pecunia est huiusmodi, haec minor est Abb. in prol. titulo de usuris, ac et Diui Thomae. D. Egidii Romani. D. Archic. Flo. & omnium summistarum, quare &c. Illud itaque dictum Diui Ambrosii, quod adducitur Dist. 47. c. sicut, quod videlicet ex pecunia, pecunia non nascitur, intelligendum est in contractu mutui, ut ex ipsius met diui Ambrosii verbis clare elici potest, ibi. n. Diuus Ambrosius loquitur de usuris, in mutui autem contractu committuntur usurae, ut habetur rub. de usuris. c. consuluit &c. 14. q. 3. per totum. Quinto sic, omne id quod potest estimari maiori vel minori precio est vendibile, sed ipsa pecunia est huiusmodi, ergo &c. maior enim suis terminis patet, minor vero clare habetur rub. de censibus. c. olim causam, &c. cum canonicis, facit. l. quoniam. C. de rerum permut. l. permutationem consequens est igitur ut ipsa pecunia, eo modo quo dictum est, emi & vendi possit, & ita in contractu cambii Lugdunen. aut Bezenzonen. potest esse contractus emptionis & venditionis, emptione videlicet se tenente ex parte campforis venditione vero ex parte capientis ad cambium.

Cap. sextum, Quod pecuniae ut loco distantes minus valeant quam ut praesentes.

Et quoniam, ut superius dictum est, ut contractus emptionis & venditionis iuste fiat, inter precium & rem venalem aequalitas seruanda est, ut huiusmodi aequalitas in ipsa numismatum commutatione clarius cognoscatur, notandum est, quod si campfor Genuae emens pecunias, sibi Lugduni consignandas, soluit precium Genuae, pecuniae illae siue scuti illi de marcha Lugduni consignandi, ipsi campfori Genuae existenti, per se loquendo, minus valent, quam si sibi Genuae assignarentur, quia per se loquendo, res loco distans, minus valet emptori, quam praesens. Hoc enim clare patet inductiue in omnibus, discurrendo

4

5

Par. i. 2. pra  
adin.

1. Ratio

2  
rendo per singula. Alia ratio est; quia res subiecta periculis, laboribus, & expensis, minus valet, quam ipsa eadem ab huiusmodi oneribus libera, sed pecunia loco distans emptori, ad hoc ut ad ipsum trāstuehatur, per se loquēdo, subest periculis, laboribus & expensis, igitur ipsa pecunia, ut sic, ipsi campfori minus valet, quam si ipsa esset præsens, atq; ab huiusmodi oneribus libera, maior est per se nota, similiter etiam & minor.

3  
Tertio hoc idē sic astrui potest, In cambiis enim illis realibus quæ alias communiter fieri solebant, quum videlicet quispiam negociandi gratia, volebat ad alium locum se transferre, suas campfori dabat pecunias, ut ipse campfor suis literis pecunias illas illo in loco ei consignari faceret, secundum omnes Doct. qui de hac re hactenus scripserunt, ipse campfor sic assignari faciens pecunias illas, aliquid lucri inde iuste lucrari poterat, quia .s. hoc modo illarum pecuniarum causa secum contrahentis, translatoris vicem gerebat, & in huiusmodi translatione, per se loquendo, pericula, labores & expensas subibat. Nec huic rei obstaret, si campfor puta Genuen. haberet fratrem, aut factorem illo in loco habentem illas pecunias. Neq; etiam obstaret, si omnino erat illo in loco tantam pecuniarum summam pro aliis suis negociis expensurus, & ad locum illum missurus. Hæc enim omnia per accidens se habent ad naturam contractus, in cuius æqualitate consistit iustitia, quid enim attinet ad naturam contractus ipsius cōmutationis, in qua æqualitas rei ad rem esse oportet, si ex ipsius campforis industria, aut casu, ipse in diuersis locis consanguineos habet, aut ministros, siue pro eo agentes, forte gratis inuenit, & exinde viarum, ministrorumq; expensas lucrando diues fiat? modo tamen ponderatis rerū cōditionibus, æqua lance fiat cōmutatio? his igitur rōnibus satis clare cuilibet cōstare pōt, quod pecuniæ loco distantes p se loquendo (ut sic) minus valent quā præsentes.

Cap. septimum, Quod cessante omni fraude cambia Lugdunen. siue Bezenzonen. recte celebrantur.

Altera conclusio principaliter intenta.  
Ex his omnibus cōiunctim sequitur responsio pro altera parte ad propositū, quæsitum, & est altera cōclusio principaliter intenta, quæ talis est: Cambia Lugdunen. siue Bezenzonen.

21  
cessante omni quavis fraude ac praua adinventione, de qua supra, recte celebrari possunt. Hæc conclusio ex prædictis primo probatur sic. In huiusmodi cambiis sic celebratis, est contractus emptionis & venditionis, & nulla quavis fraus aut praua adinuentio, de quibus supra, in eis intercedit, ergo, ut sic, recte celebrari possunt, Antecedens quo ad eius primam partē, patet cap. 5. huius, quo vero ad secundā, et patet ex supposito. Cōsequētia vero, si recte pōderētur & penitus excludātur oēs quæcūq; prauæ adinventiones quæ in prima parte huius tractatus enarratæ sunt, sicut & in hac conclusione nostra excludūtur, secundū doctrinā tã Theologorū q̄ canonistarū, admittēda ē. Secundo sic, in istis cambiis sic celebratis, arbitrio bonorū & peritorū virorū, seruatur æqualitas iustitiæ cōmutatiuæ, ergo iuste fiunt, consequentia apud omnes est nota, & antecedēs ex dictis in prima parte, & cap. 6. huius secundæ partis, satis liquet. Tertio sic. In istis cambiis sic celebratis, pars capiens ad cambium arbitrio bonorū & peritorū in arte campforia, non grauat, & distantia temporis nihil lucri affert, ergo ut sic, recte celebrantur, consequentia apud omnes Doct. de materia cambiorum loquentes, est nota, antecedens vero ex prædictis recte pōderatis clare sequitur. Quarto sic, cōmutatio numismatum facta in istis cambiis sic celebratis in primis ad bonum publicum, subinde ad beneficium tam emptoris quam vëditoris recte ordinatur, ergo recte & iuste fit, antecedens ex dictis patet, consequentia vero inferri potest ex verbis Philosophi primo Pol. vbi vult, quod emptio & vëditio, ut iuste fiat, ad bonum publicum & ipsius emptoris ac vëditoris beneficium sit faciēda. Quinto sic, in cambiis illis realibus p literas quæ alias fieri solebant, quādo .s. campfor suis literis curabat ut pecuniæ puta hic Genuæ acceptæ, alio in loco puta Neapoli assignarentur secum contrahenti, ut superius dictum est, secundum omnes Doct. qui de hac re hactenus scripserunt, ipse campfor sic assignari faciens pecunias illas, aliquid lucri inde iuste lucrari poterat, quia videlicet hoc modo causa ipsius secū contrahētis, illarum pecuniarū translatoris vicem gerebat, & per se loquendo, in huiusmodi translatione pericula labores, & expensas subibat, quam ob rem nobis dicendum est cōtractum hūc

.1. Ratio.

2

3

4

Cap. 6.

5

esse licitum & necessarium ac iure gentiū & naturali rōne mu-  
nitū, quia campfor pro bono cōmuni ad instantiā secū cōtra-  
hentis subiit pericula viarum & nunciōrū damna, pensiones  
operarum, & salaria factorum, vt not. in l. pericula. ff. de nau-  
te. & l. traiecitia. ff. de act. & oblig. & l. qui Romæ. s. i. & l. si  
hæres. ff. ad. l. falcidiam, sic igitur etiā hic à simili argui potest,  
puta cum petrus accipiens à campfore pecunias loco præsen-  
tes, idem campfori restituat pecunias loco & regno distantes,  
videlicet Lugduni, & campfor, per se loquendo, non possit pe-  
cunias illas reducere Genuam, nisi subeat viarū pericula, nun-  
ciorum damna, ac omnia & singula eadem onera, quæ ab ipso  
Bal. de alio cambio adducuntur, qua igitur ratione etiā in hoc  
Lugdunen. Cambio cessante omni fraude, celebrato, sicut &  
in illo non potest aliquid lucrari? si enim in cambiis illis reali-  
bus in quibus campfor causa secum contrahētis, suis literis &  
industria transfert pecunias ab vno loco in alium locum, iuste  
aliquid lucratur, & plus & minus secundum maiorem & mi-  
norem locorum distantiam, qua de causa etiam in istis realibus  
cambiis, cessante omni fraude, celebratis, campfor causa secum  
contrahentis, suis literis & industria, transferens pecunias Lug-  
duno Genuam, & ab vno regno in aliud regnum, nō potest  
etiam iuste aliquid lucrari? campfor enim exercendo cambia  
Lugdunensia est ne forte peroris cōditionis, quia prius secum  
contrahenti dat suas pecunias & aliquo tempore vsu earū pri-  
uatur, quam sit campfor qui alia cābia exercebat, & prius quā  
suas pecunias, secum contrahenti alio in loco consignaret, ab  
eo accipiebat pecunias & eis aliquo tēpore poterat vti? Hoc  
sane nullus sani capitis admitteret, quare &c. Sexto sic, si huius  
modi pecuniarum emptio & venditio in isto Lugdunen. cam-  
bio cessante omni quauis fraude, de qua supra, nō iuste fieret,  
neq; etiā aliæ, quæcuncq; fuerint illæ, aliarum quarūcuncq; re-  
rum emptiones aut venditiones iuste fierent, immo nec fieri  
possent, & sic pene tota rerum negociatio penitus tolleretur  
quod sane esset absurdissimum, & publico cōmodo atq; hu-  
manæ vitæ & necessitati intollerabile, pbatur sequella, quo-  
niam per iam dicta, in isto cambio sic celebrato, omnia & sin-  
gula ad iniustitiā cōtractus emptionis aut venditionis facien-

Cap. 21.

21  
tia, vt patet, penitus tolluntur, quæ vero ad emptionis iustitiā  
conferunt apponuntur, si ergo emptio in hoc cambio sic ce-  
lebrato, non iuste fit, nec etiā emptiones aut venditiones om-  
nium aliarum quarūcuncq; rerū quouis modo iuste fieri pos-  
sent, & quia hoc est absurdissimum & intollerabile, ergo illud  
ex quo sequitur, qua propter ex his rationibus nobis dicendū  
videtur, quod cambium Lugdunen. siue Bezenzonen. cessan-  
te omni quauis fraude de qua supra, recte ac iuste celebrari  
possit. Huius opinionis est Bal. in rub. C. de consti. pecu. &  
in quæstione per eū disputata, quæ dicit statuto cauetur, quod  
fænerator, in prin. & Archi. 14. q. 3. c. primo ac Saly. in auc.  
ad hæc in. 11. q. c. de vsuris. & Ioannes de Ana. in cap. nauig.  
ganti de vsuris & Io. Cal. in consilio. 11. i. posito sub rubrica  
de vsuris, & D. Alex. Imol. in consilio. 61. in. 2. volum. incip.  
viso processu causæ vertentis, in vlt. & D. Iason. de mayno su-  
per prima parte codicis. c. de summa Tri. & si. cath. hunc eun-  
dem cambii Lugdunen. contractum, hoc modo, vt dictum est  
celebratū approbāt et Reuerendissimus D. Thomas de vio  
Caie. Cardinalis, & D. Siluester de Prierio Magister sacri Pa-  
latii in sua summa, & alii q̄ plures, Gof. vero & Hostien. & q̄-  
dam alii qui hunc contractum vel ei consimiles damnant, hoc  
ideo damnāt, quia vt eorum scriptis patet dicitur ipsum esse cō-  
tractum mutui spe lucri celebratum. Alii vero, vt D. Archie.  
Flo. & Laur. de Rodul. & quidam summiste de huiusmodi  
cambio loquentes, ad neutram partem se determinant, quia vi-  
delicet dubitant, an sit contractus emptionis vel mutui, qui au-  
tem huiusmodi cambii contractum, esse contractum emptio-  
nis & venditionis, vel reducibilis ad emptionem affirmant, hūc  
cambii Lugdunensis contractum, cessante omni fraude cele-  
bratum, tanq̄ iustum admittunt & approbant, quum autem su-  
perius multis rationibus declaratum & probatum fuerit, Hūc  
cambii contractum, recte celebratum, non esse contractū mu-  
tui, sed emptionis & venditionis, si (vt dictum est) cessante om-  
ni qua vis fraude ac praua adinventione celebretur, recte atq;  
iuste admittendus & approbandus est: Qua propter rationi-  
bus auctoritatibus, ac toto huius nostri libelli contextu clare  
liquet, eos non recte sentire, qui dicunt, si cambiū Lugdunen.

Cap. 6.



aut Bezenonen. licitum est, similiter & reliqua omnia alia cā-  
bia, quę (nescio quo spiritu) quandoq; cōmoda, quandoq; par-  
tita, quandoq; deposita, quandoq; confirmata, quandoq; cā-  
bia de basilea, vel quibusdā nescio aliis nominibus, ab ipsis cā-  
psoribus fictis & adinuentis, nominantur, iusta & licita sunt:  
Et hæc quo ad secundā huius nostri tractatus partem dicta,  
sufficiant.

¶ Tres tamē difficultates in huiusmodi Lugdunen. aut bezen.  
cambiis, sic (vt dicitur) recte celebratis, insurgere possunt, quar-  
um prima est ratione temporis, in quo secundū cōmunē con-  
suetudinem licet dari ad cambium, quoniā initio tēporis quo  
datur ad cambium pro nundinis illis, tunc immediate sequen-  
tibus, cōmuniter & vt plurimum, minus dari solet, ac minori  
præcio emuntur pecuniæ Lugduni assignandę, quam medio  
aut postremo tempore dari & emi soleat, videtur ergo quod  
ex anticipata precii solutione, pecuniæ Lugduni consignandę  
minori emantur precio quam emi deberent, quo fit vt cōtra-  
ctus iste vsurarius sit censendus, per argumentum à contrario  
cap. nauiganti, casu secūdo. Secūda autem difficultas ex par-  
te venditorū siue capientium ad cābium oriri potest, quādoq;  
enim immo sepius contingit, quod ipsi capientes ad cambium  
pro Lugduno aut Bezenono non habeant pecunias existen-  
tes Lugduni aut Bezenoni ipsi campsores consignandas, neq;  
etiam habeant ibi agentes pro eis, immo quandoq; neq; etiam  
habent modū ibidem habendi huiusmodi pecunias assignan-  
das, aut saltem modum ipsum nisi magna cum difficultate in-  
uenire possunt, quo fit vt ipsi capientes ad cambium, quādoq;  
rogare cogātur eosdem met campsores à quibus pecunias ad  
cambium acceperunt, vt suis propriis literis curent, quod no-  
mine ipsorum capientium ad cambium tales pecunię Lugdu-  
ni assignandę sibi assignentur, quā ob rem sequitur, quod ipsi  
cāpsores quandoq; scienter emant pecunias ab illis, quos sciūt  
aut probabiliter credunt eas Lugduni, nec habere, neq; etiam  
saltem nisi magna cum difficultate ibidem habere posse, quo  
fit vt huiusmodi pecuniarū emptio siue cōmutatio nō videat-  
ur recte neq; bona fide celebrata. Insuper sequitur quod ipsi  
met cāpsores ab eo emant pecunias, quas statim quod ad locū  
tempus

23  
tempus, & formam, penitus integras & immutatas, causa lucri  
eidē sunt venditori, qui sane sic ementes secundū Diuū Chryf.  
super Matth. & adducitur. 88. Dist. c. eiciens, de tēplo Dei sūt  
eiciendi, facit. c. quicunq;. q. 4. Tertia difficultas oritur ex par-  
te campsores, quandoq; enim contingit quod ipsi campsores  
suas ad cambium dent pecunias tantummodo initio temporis  
quo dari potest pro nundinis illis, & hoc ideo faciūt, quia (vt  
dictum est) tunc cōmuniter minus dari solet pro quolibet scu-  
to de marcha Lugduni assignādo, quam medio aut postremo  
tempore, dari soleat. Adueniente postea medio tempore aut  
postremo, ipsi met non dant, sed capiunt ad cambium pro eis-  
dem nundinis pro quibus prius dederunt, & hoc causa lucri,  
quia tunc communiter plus datur, quam initio temporis datū  
fuerit, quo fit vt hac eorum anticipata solutione siue datione,  
sequatur iniustitia in prima difficultate iā tacta, ex datione ve-  
ro & acceptione simul cōiunctim, iniustitia secūda, quare &c.  
Ad primam difficultatem & rationem, vno modo posset dici  
ad antecedens, non semper contingere, quod initio temporis  
quo dari potest ad cambium, minus detur pro pecunia Lug-  
duni assignanda, quam medio aut postremo tempore, immo  
quādoq; medio aut postremo tempore minus datur quā ini-  
tio temporis datum fuerit, & hoc propter varios rerum euen-  
tus in toto illo intermedio tempore contingentes, sicut etiam  
hoc Anno 1554. his superioribus nundinis hic Genuæ de  
facto contigit, verum quoniam hoc raro contingit, alio mo-  
do respondendo dicitur negando consequentiam illam, quia  
quod in initio temporis minus detur, quam medio aut postremo  
tempore, hoc non procedit, vt infertur, ex anticipata solutio-  
ne, sed ex maiori venditorū & capientium ad cambium abun-  
dantia tunc cōmuniter contingente, capientes enim ad cābiū  
ideo capiunt quia egent pecuniis, vel vt maius damnum quā  
sit illud in quod ex cambio incurrunt euitent, vel sicut ferē cō-  
muniter contingit, vt ex pecuniis ad cābium acceptis magis lu-  
crentur, quā sit id quod dant cāpsori, hæc autē cōmode fieri nō  
possunt nisi habita ad solutionem aliqua temporis cōmodita-  
te, quia raro contingit quod cum ad cambiū capiunt, tūc actu  
habeant pecunias Lugduni præsentis, Intermediū ergo tempus  
F



pus est occasio quod inueniantur venditores siue capiētes ad cambium, quo fit vt multum tempus intermedium sit occasio multorum venditorum, & paucum tempus paucorum venditorum & multorum emptorum, iccirco multo interiacente tempore, propter abundantiam venditorum, nisi aliquid aliud tunc de nouo eueniat, rationabiliter minus datur a solventibus, qui sunt quasi ementes marchas absentes, & modico interiacente tempore, propter abundantiam emptorum plus ab eis ementibus datur. Similis enim preciorum varietas, licet modo contrario, eadem de causa in publicis aliarum rerum siue mercium nundinis aut mercatis vt plurimum contingit, initio enim illarum nundinarum, quia tunc regulariter multi sunt emptores, fit vt tunc merces maiori vendantur precio, prope finem vero, ob ipsorum emptorum paucitatem, si miles merces (si quae remanserint) minori precio distrahuntur, & id iuste absque Dei offensa, modo tamen iusti precii termini non excedantur, ita & in proposito quamuis modo contrario, eadem de causa in cambiorum nundinis regulariter contingit, dummodo, igitur pecunia loco & tempore absens, vendatur iusto precio, contractus est licitus, vnde cum contractus huiusmodi cambiorum, abstracta ista differentia temporum, liciti sint, vt ex superioribus patet, & haec temporis differentia, praedicto modo saluari potest, restat quod si pensata loci absentia & distantia, iuste fiat talis numismatum commutatio, contractus tales iniusti iudicari non debeant, animaduertendum tamen est, quod huiusmodi tempus intermedium non debet esse nimis longum, quia, vt dictum est in prima parte huius, tunc bene valeret consequentia facta, debet igitur esse congruum & moderatum, vt. l. consequitur localem distantiam, inter videlicet locum datae & locum recipiendae pecuniae, secundum quam distantiam nihil nisi in tempore moueri potest, etiam si huiusmodi tempus sit aliquantulum maius quam huiusmodi distantia requirat, quia, vt dictum est, datur etiam ad debitam & honestam commoditatem mercatorum & ad cambium capiendum, & hoc rationabiliter, quia bono fine, propter publicum videlicet in primis & commune bonum, non affectu & arbitrio singulorum, sed communi omnium, vt decet, consensu, & accedente ad id principis auctoritate, non per erro-

24  
rem, sed ex certa scientia ac diuturnitate temporis, facientibus consuetudinem vim legis habentem, quapropter si arbitrio honorum & peritorum in arte campforia virorum, inter datae & recipiendam pecuniam seruetur equalitas, & bona fide congruoque tempore cambium Lugdunen. aut Bezenzonen. celebretur, huiusmodi cambii contractus ratione praedicti temporis damnari non debet, hoc etiam modo, vt ex dictis patet, respondendum est ad rationem tertiae difficultatis quo ad eius primam partem. Ad secundam autem rationem dicitur, sicut prima parte huius, adiuuen. decima dictum est, videlicet, quod si campfor sciret aut probabiliter crederet, se ad cambium pro Lugduno suas pecunias dare pauperi, qui id pro quo datur pecuniae illae, nullatenus posset ei consignare, illas sic dando, usurarius esset censendus, vel in fraudem usurarum faceret, usuram siue lucrum inde a paupere accipiendo, si vero probabiliter crederet quod capiens ad cambium posset pecunias illas pro quibus dantur deinde Lugduni consignare & ita in rei veritate, quamuis tamen cum difficultate posset ipse campfor recte & sine conscientiae scrupulo posset ei ad cambium suas dare pecunias, & etiam percipere inde lucrum, si quid lucri ex huiusmodi cambio sequeretur, tum quia hoc stante, pecuniae illae & lucrum Lugduni consignanda, aliquo modo sunt, & ita emi & vendi possunt per. l. si iactum retis. ff. de act. emp. & vend. vbi licita est emptio facta de sola spe probabili, vel quasi in actu, & idem de partu futuro. l. nec emptio. ff. de contrahen. emp. tum etiam quia campfor non tenetur plus diligere alienas diuitias quam suas. Similiter si, contractu cambii bona fide iam confecto, campfor deinde ad instantiam capientis ad cambium, potentis tamen soluere, suis literis ordinet vt illi scuti de marcha qui sibi Lugduni debentur, vel eis aequivalens, nomine capientis ad cambium sibi soluantur, propter hoc culpandus non esset, quia id non primaria intentione lucri, sed, vt dictum est, ad instantiam capientis ad cambium & potentis soluere sine quauis iniustitia facit, nec cap. eiiciens, nec cap. quicumque in contrarium adducta, aduersus hanc nostram conclusionem militant, quia illa cap. vt ibi patet, de vendente causa lucri loquuntur, quod non fit in hoc casu nostro. Hoc tamen in usu nullatenus ponenda

dum est, quamuis enim contractus iste initio sui recta intentione factus, quo ad effectum, fuerit contractus veri cambii, ad transmittendum videlicet pecunias ad alias terrarum partes, p bono publico & communi hominum commoditate, deinde tamen (quo ad effectum) & si ad instantiam capientis ad cambium, seruata quadam cambii forma, incidit in mutui contractum, eodem enim in loco (quo ad ipsam pecuniarum exbursementem, dantur & recipiuntur pecuniae eiusdem generis, & cum lucro, quod ex vero & effectuali cambio cum mercato re celebrando, eundo & redeundo prouenisset, quo sane fit, vt ex hoc cambiendi modo via pareatur ad fenora, quum ipsa fenora ex mutuo cum lucro aut principali spe lucri semper commitantur. 14. q. 3. c. si fenoraueris, & per totum, qua propter si (vt dictum est) id fieri contingat, id non nisi valde raro, & nunquam quouis modo ex ipsius campforis affectu aut intentione, sed tantummodo ad instantiam capientis ad cambiũ & ex quadam ipsius campforis erga ipsum sibi proximum sincera charitate fieri posset, si quis tamen bona fide alicui suas ad cambium dedisset pecunias, & deinde cognosceret aut probabiliter crederet ipsum capientem ad cambium esse impotentẽ ad consignandum pecunias debitas Lugduni, vel alibi, nihil lucri inde potest accipere, & si accepisset, illud illi pauperi restituere debet, sicut in prima parte huius tractatus, quũ de decima ipsorum campforum praua adinventione siue abusu loqueremur, dictum est. Ad rōnem vero in tertia difficultate tractam, quo ad eius secundam partem dicitur, quod res empta & deinde vendita de qua modo est sermo, non est integra & immutata secundum verum intellectum illius autoritatis adductae, sed est alterata quo ad præcium, ratione euentus rei in illo tempore intermedio, quia, vt dictum est, præter alios rerum euentus qui tunc oriri possunt, & oriuntur, communiter initio temporis dandi ad cambium, multi sunt venditores, & ita inde cambiorum precia imminuuntur, medio vero tempore & postremo, pauci venditores & multi emptores, & ita inde augentur, quo fit vt autoritas illa conclusioni nostrae nõ obstat, præsertim si initio tēporis quo licite dari & capi potest ad cambium, dantes ad cambium minori precio, non ea inten-

25  
tione dent, vt deinde prope finem eiusdem temporis, easdem pecunias maiori precio ad cambium in alios distrahant, quoniam si hac intentione id facerent, quamuis ad restitutionem lucri inde percepti non tenerentur, non tamen in huiusmodi negotio laudandi, sed potius tanq̃ de turpi lucro, improbandi essent, quoniam in multis imitarentur eos qui (sicut in argumento dicebatur, de templo Dei eiiciendi sunt, illos scilicet q merces hac intentione emunt, vt eas cum lucro sine quauis ipsarum mercium ac temporis & loci mutatione aliis vendant, quum noceant illis qui Iconomice & politice viuere intēdũr, ipsarum scilicet rerum ad hominum vsum & vitam necessaria rum precium, eorum arguta cupiditate imminuendo vel Augendo, secus autem si (vt diximus) qui prius dant, & deinde capiunt ad cambium, non ea intentione dant & capiunt, sed probe & recte, puta pro suorum negotiorum oportunitate, id faciunt, quia hoc modo sine quo vis conscientie scrupulo id facere possunt, quappter sequitur quod conclusio nostra principalis in suo remaneat robore, videlicet quod cambiũ Lugdunen. & Bezenzonen. cessante omni quauis fraude & adinventione de quibus supra, recte & laudabiliter celebrari possit.

¶ Hæc sunt quæ donante domino ad eius, vt decet, laudem pro animarum salute super nobis proposito quæ sito dicenda mihi visa sunt, multa tamen & forte plura quam hoc propositum quæ situm exposulare videretur in vnum congesti, quoniam his nostris cupidissimis ac potius rapacissimis temporibus ea ad id bonis de causis admodum opportuna & necessaria esse arbitratus sum. Quæ sane omnia & singula & me ipsũ totum Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, à qua dissentire nefas est, arbitrio & censuræ, qua debeo humilitate ac veneratione, submitto, neq; sanctæ Ecclesiæ authoritati solum, verum etiã omnium quorumcunq; saniori iudicio subiacere volo, à quo vt laudari honorificum, ita emendari & corrigi fructuosum semper existimaui.

Explicit Tractatus de Lugdunen. Cambio a fratre Fabiano Genuen. Or. Fratrum  
Erc. Sancti Augustini, Congregationis Sanctæ Mariæ de Consolatione  
æditus, ad Honorem Dei ac beatæ Mariæ semper virginis  
Toriulq; Sanctæ Ecclesiæ, Amen.

